H. C. MICHAËLIS,

DISSERTATIO LITERARIA.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS

CONTINENS

L. Annaei Senecae

CONSOLATIONEM AD MARCIAM

ANNOTATIONE ILLUSTRATAM.

DISSERTATIO LITERARIA INAUGURALIS

CONTINENS

L. ANNAEI SENECAE

CONSOLATIONEM AD MARCIAM

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JOANNIS RUDOLPHI THORBECKE

JUR. R. ET H. D. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM
HUMANIORUM HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

HENRICUS CAROLUS MICHAËLIS

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XVIII DECEMBRIS MDCCCXL, HORA I—II.

HARLEMI,

APUD VINCENTIUM LOOSJES.

MDCCCXL.

LUGD. BAT. EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PARENTIBUS

ET

PRAECEPTORIBUS

SACRUM.

PRAEFATIO.

Argumentum dissertationis circumspiciens incidi in Senecae consolationem ad Marciam, in quam elaborandam vires meas impendere operae pretium duxi. Arrisit et argumenti gravitas, et auctoris cum dicendi tum cogitandi praestantia.

Consolandi enim munus quum duabus partibus constet: adhortatione et praeceptione (1), quarum haec ad philosophiam, illa ad eloquentiam pertinet, quanti sit faciendum ipsa res indicat.

De auctoris praestantia silendum puto. Qui enim in doctorum virorum auctoritate acquiescendum arbitrentur; hi secum reputent velim, illustrissimos

(1) Vid. Wyttenb. ad Plut. Moral. T. VI. Pars 2. p. 697.

viros, Lipsium praecipue et Gronovium, in Senecae, ut praeclari scriptoris, operibus illustrandis et emendandis plurimum operae posuisse; ipsumque auctorem in editionum suarum praefationibus ab illatis criminibus magna ex parte vindicasse, summisque laudibus celebrasse. Qui vero rationes, quibus auctoris ostendatur praestantia, requirant; iis Senecae operum, inprimisque hujus pulcrae consolationis lectionem commendem potius, quam meas ratiunculas obtrudam.

Consilio meo cum promotore carissimo communicato ab eoque probato; rem aggressus sum, neque me umquam initi consilii poenituit. Nam inter multa Senecae scripta hanc consolationem elucere judico. Nam vitio illo affectationis, quo noster saepe laborat, haec consolatio carere videtur: quod autem a Caligula his verbis expressum legimus: eum arenam esse sine calce (1), hoc non moramur, quippe ab homine dictum mentis non compote, et qui carmina Homeri et Virgilii et historias Livii, in quibus multa reprehendebat, delere volebat. Nec mirum vero hoc opus Senecae tam feliciter cessisse; quum jam duas illas consolationes, ad matrem alteram, alteram ad Polybium scripsisset; ipse vero ab exsilio denuo reversus (2) et vitae mala expertus aliena mala alta mente sentiret; denique ad Marciam scriberet, mu-

---

(1) Suet. in Calig. 53.

(2) Vid. locus in diss. ubi de tempore, quo hanc consolationem Seneca scripsisse videtur, egi.

lierem, cum studiorum eruditione, tum morum elegantia, rarum saeculi sui exemplum (1).

Neque porro haec consolatio tam plane illustrata omnique scripturae vitio liberata videbatur, nihil ut requiri amplius deberet. Causa in promptu est. Lipsius et Gronovius, post acutissimum Pincianum, optime de Senecae operibus meriti plurima quidem praestiterunt, sed non mirum, eos in magnis ulceribus sanandis occupatos, multa reliquisse. Ruhkopfii vero, ultimi Senecae interpretis, labor non fructu caruit quidem, quum, recognitionem magis quam recensionem promittens, tamen praeclara quaedam et huic libro attulit; nequaquam vero omnia, quae in editione omni parte absoluta requiruntur, praestitit. Et multa adhuc in Senecae editionibus desiderari is desinet mirari, qui a Gronovio teste acceperit tam mutilatum Senecam ad nos pervenisse: »ut nec unius hominis aut aetatis aut muneris fuerit tot malorum et seculorum insignia Senecae detrahere, nitidumque et suum et naturali decore conspectum manibus ac studiis hominum commendare" (2).

Ego quoque omnes meas ingenii vires diu acriterque intendi in hujus libelli difficultatibus elaborandis. An vero aliquod operae pretium attulerim doctorum judicii esto. Praeter Editiones: Ex officina du Valii An. MDLXXXVII cum notis Mureti

(1) Conf. Cap. I. § 1. § 6 et Cap. VIII. § 2 hujus Consol.
(2) Gron. Ed. Senecae Praef.

et Pinciani, et quae secutae sunt: Lipsii, Gronovii et Ruhkopfii, subsidio mihi fuit liber qui inscribitur Senecae Philos. et M. Annaei Senecae Rhet. opera, emendata a Vincentio Pallio Paris 1580; multum notatus ab J. Casaubono, quae editio exstat in Bibliotheca Leidensi, et mecum a v. c. J. Geelio benevole est communicata. Paucissima quidem, sed minime omittenda tamen huic debeo editioni. Hujus bibliothecae codicum, quibus Senecae opera partim continentur, nullus est, in quo haec consolatio invenitur.

Codicum autem nondum consultorum inopiam pensavit aliquatenus Lipsii editio; in quam complurium codicum lectiones, easque non semper, ut mihi videtur, accurate satis perpensas, attulit, alias autem neglexit.

Porro emendationes in varia hujus consolationis loca propositas, et in plurimis veterum auctorum praestantissimis editionibus dispersas diligenter conquisivi. Neque omni fructu hic caruit labor; nam praeclaras quasdam, etsi paucissimas, emendationes sic investigavi; quarum nulla adhuc in Senecae editionibus ratio habita est, quamvis vulgatae lectioni longe praestare mihi videbantur. Plures tamen non admittendae visae sunt. Quas tamen refellere quam reticere antiquius habui, ne socordiae culpam contraherem, quod eas non legissem; aut arrogantiae, quod eas meo arbitrio rejecissem; aut ignaviae accusarer, qui eas refelli posse desperans, argumenta mea retinuissem.

Caeterum hanc argumenti divisionem tenui, ut totum in duas diviserim partes; quarum prior continet argumenti brevem expositionem, personarum, quae maxime in censum veniunt, descriptionem, temporisque, quo scriptam esse hanc consolationem vero simillimum videatur, definitionem. In quo definiendo plurimum operae attulit vir doctissimus F. Heidbreede, qui anno 1839 hac de re peculiariter egit in disputatione, quae praemissa est libello, cujus titulus est: Bericht über das Gymnasium in Bielefeld von Ostern 1838 bis Ostern 1839, von Dr. C. Schmidt. Praemissa est disputatio de L. Annaei. Senecae consolatione ad Marciam, auctore Dr. Friderico Heidbreede. Bielefeld 1839.

Cujus viri in me benevolentiam palam praedicare gratum mihi honorificumque est, quum et hanc disputationem accurate, perspicue et cum judicio, ut mihi quidem videtur, conscriptam benigne mihi miserit, et notulas quasdam omissas manu sua adjecerit. Animadversiones quasdam ad ipsam consolationem addere in animo habuit vir doctus, sed ob nimis angustos illius libelli terminos, eas hoc anno, *si deo placeret*, in lucem edere voluit. Quas tamen nondum editas esse credo, quum nihil hac de re vir doctus in notulis illis manu adjectis dicat. Et Deo aliter est visum. Paucis enim diebus postquam haec scripsi, Heidbreedii obitum accepi!

Altera vero meae disputationis pars continet ipsam consolationem, qualis in editione stereotypa legitur, in qua textus eleganter expressus esse mihi videba-

tur. Nam secuti sunt editionem Ruhkopfii, reducta tamen huc illuc lectione Lipsii, Gronovii, aliorum. Huic notas meas subscripsi, de quarum ratione pauca adhuc quae dicam habeo.

Omnia illa quae superiores interpretes attulerunt, quibus aut lectio melior aut sententia clarior fieret, in notis memorare haud superfluum fuisset, imo in justa editione requiritur quidem, sed termini, quibus haec dissertatio necessario includenda erat, id quominus facerem vetuerunt. Itaque haec mihi tenenda erat ratio ut ea tantum, quae a praecedentibus aut omissa aut secus dicenda mihi viderentur, tractarem.

Ex hac vero ratione sequitur, ut multis locis opinionem meam, a doctissimorum virorum sententiis discrepantem, proferre coactus fuerim. Quo saepenumero fit, ut notas meas meamque mediocritatem cogitantem metus me subeat, ne audaciae arrogantiaeque jure accusandus sim. Seneca tantum animum addit. Ejus opera diligenter ut legerem, auctoremque, quatenus fieri posset, ex se ipso explicarem, clarissimorum virorum et scriptis et sermonibus inductus sum. Horum igitur assidua lectio saepissime unicum mihi fuit filum per conjecturarum et diversorum codicum lectionum labyrinthum. Hoc fretus, quum aliorum opiniones ingenue attulissem, meam addere non dubitavi. Sed, ut multis locis dissentire cogebar, sic aliis quoque mihi contigit, ut emendationibus quibusdam a Gronovio aliisque praeclare propositis, necdum satis exemplis firmatis, e Senecae auctoritate pondus adderem.

Hoc denique brevitatis studium me impedivit quominus copiam locorum, ex aliis veteribus auctoribus comparatorum, aut ex clarissimorum interpretum notis descriptorum, adderem; quibus cum lectio jucundior, tum Senecae argumentorum auctoritas multo gravior esset facta. Sed de brevitate locutus ne longus sim rem statim aggrediar.

PARS PRIOR.

ARGUMENTI EXPOSITIO BREVIS.



In omni oratione ut monet Quinctilianus Instit. Orat. Lib. IV. Cap. I. Ed. Bur. pag. 310), hoc in primis videndum est, quas, et quo tempore, res dicas. Hoc Senecam quoque in hac consolatione bene observasse mox videbimus.

Marcia amiserat filium juvenem. Dolor matris animum non affecerat tantum, sed afflixerat quoque, ita ut morbo implicaretur, eoque tam pertinaci: *ut infelicis animi prava voluptas dolor esset factus* (Cap. I. § 7). Aegra autem, quae, sicut Marcia, morbo gaudeat curationemque non recipiat, quomodo quaeso curari possit, nisi prava illa opinio prius erepta sit?

Itaque si Seneca proficere aliquid apud Marciam vellet, omnium primum eam docere debebat: per-

tinaciam illam in deploratione filii nihil boni, contra plurimum mali afferre.

Id quomodo Seneca fecerit jam videndum est. Ingenii animique in Marcia praestantia celebrata (Cap. I. § 1—5), duo ei exempla ante oculos ponit Octaviae et Liviae; quae filios juvenes amiserant, illa Marcellum, hacc Drusum. Sed Octavia *ferendam se tradiderat dolori*, Livia vero *non dederat longum in se malis suis dominium*, sed cito animum in sedem suam reposuit. Quarum quantopere Liviae exemplum sit praeferendum ostendit; quum Octavia dolore immodico hoc tantum effecerit: ut sibi ipsa nocuerit, omnes suos, *quibus salvis orba sibi videretur*, contumelia affecerit: et, quum immodice lugens *nullam habere imaginem filii carissimi vellet, nullam de illo sibi fieri mentionem*, recordationem ejus qualis vivus fuisset, tam molle doloris fomentum, ex mente amitteret, nihilque memoria teneret nisi terribilem illius diei imaginem, quo animam efflaverat Marcellus.

Liviam vero contraria fecisse, indeque maximum, quod moesto accidere possit, commodum cepisse docet Seneca; ut scilicet, Druso suo privatim sibi et palam ubique repraesentando, filius, qualis vivus solebat, matris menti hilaris et cum gaudio occurreret. Cap. II—VI.

Sic Seneca in moerentis pectus quasi introitum sibi paravit, antequam morbum ipsum curare aggrederetur. Cur vero auctor in hoc libello inverso ordine, ut ipse fatetur Cap. II, egerit, et prius

exempla deinde praecepta dederit inquirere operae erit pretium.

Quorum, ut Marciae, animus moerore aegrotat, eorum illud est proprium, ut hominum consortium lucemque diurnam fugiant. (Conf. Cap. II. § 5.)

Consolaturus igitur, si nolit *surdas aures transitura verba* proferre, id agere debet, ut dolenti animum fugacem demulceat, rebusque jucundis, ad se alliciat. Idcirco noster laudat initio Marciae pietatem morumque elegantiam; eamque deinde cum duabus mulieribus *sexus et seculi sui exemplis* comparat. Marciae certe ambitioni blandum gratumque fuerit necesse est comparari inprimis cum Liuia, Augusti orbis terrarum imperatoris uxore, quam familiariter quoque coluerat (IV § 1). Sed praeter jucunditatem, qua hoc exemplum Marciae animum perfunderet; aliis quoque et magnis commodis sese commendabat. Quae in ceteris quoque hujus libelli exemplis quum sita mihi videantur; sequentia pro totius consolationis dispositione dicta velim. Ut multo facilius est alterius absentis faciem cogitatione sibi effingere, quam suam; sic alienae mentis vitia et virtutes multo melius, quam nostra animadvertere possumus. At ut sano animo jam difficillimum est se cognoscere et recte de se judicare, sic aegroto hoc omnino contingere non posse statim apparet, quum id ipsum quo judicatur aegrotet. (Conf. Cic. Tusc. Disp. Lib. III. § 1.) Quam igitur inane fuisset Marciae statim rationes afferre, tam efficax fuerit oportet ei alias personas ante oculos ponere, quas attente con-

sideraret et sic quid sibi optimum esset factu colligeret.

Liviae denique exemplum probabat non tantum luctus pertinaciam malum esse, sed hujusmodi malum cui medela afferri posset, cum alia eaque praestans, ut putabatur, mulier desiderium tale fortiter tulisset. Huic tamen rei non plane sufficiebat exemplum. Marcia objicere posset: Livia id quidem fortiter tulit, sed majus mihi quam illi malum accidit; *mihi plus, quam ulla umquam mater amiserit, ereptum est* (VI. § 1.) Hujusmodi quoque malum curari posse ut doceat Seneca, Marciam dicentem facit: concedo illum luctum pertinacem deponendum esse, *sed naturale est desiderium suorum* (Cap. VII. § 1.), naturae vero repugnare, quid est aliud, quam Gigantum modo bellare cum Diis? ut ait Cicero.

Concedit Seneca luctum quidem naturalem esse, non vero pertinaciam in luctu. Hoc exemplis probat, et incipit a bestiis, quarum, quum catulos amiserint, concitata quidem sunt desideria, sed tamen brevissima. De hoc argumento male aliquando, ut mihi videtur, intellecto videatur nota ad Cap. VII. v. *adspice.* Deinde docet: eas res, quae a natura vim acceperunt, hanc vim semper aequalem retinere: ferrum e. g. in omne corpus secandi potentiam exhibere: luctum contra, alium aliter sentire. Ex quibus colligit pertinacem hujus luctus vim non esse naturalem. Capite VIII pergit probare doloris pertinaciam non esse e natura, quum in dies decrescat. Quibus probatis Marciam quasi objicientem facit:

unde ergo tanta nobis pertinacia in deploratione, si id non fit naturae jussu? (Cap. IX.). Prima hujus rei causa, quam noster affert, est: *quod nihil nobis mali, antequam eveniat, proponimus, sed, ut immunes ipsi et aliud pacatius ingressi iter, alienis non admonemur casibus, illos esse communes.*

Quod ex comparatione fortunae cum hoste in omnes tela immittente illustrat, deinde (Cap. X) ex fragilitate eorum, quae circa nos ex adventitio fulgent, et Cap. XI ex imbecillitate corporis humani. Quae omnia, ut ratio flagitabat, illustrat comparationibus.

Sic Seneca luctus pertinaciam abjici posse et debere persuadere conatus est Marciae. Ut porro ei ostenderet mala illa, quibus premebatur, non ei soli accidisse, sed esse communia; eamque simul admoneret ut illa sibi ferenda censeret, quae videret multos moderate et tranquille tulisse; exempla eorum porro apponit, qui *lenierant aspera ferendo placide.*

Prius tamen submonet Marciam, Cap. XII, ut cogitet quantum sibi supersit, neque se a Diis electam esse cui frui non liceret filio. Hoc eo consilio monuisse Senecam puto, ut Marciae animum ad sequentia exempla praepararet, quae sunt insignium virorum, qui revera multo plus amiserant quam Marcia, quaeque ideo plurimum apud matrem dolentem valere debebant. His exponendis occupatur oratio a Cap. XII. — Cap. XVI. Capite XVI denique similia mulierum exempla affert Seneca. Capite XVII probare conatur Marciae, etsi plus quam hos omnes se amisisse putaret, malum tamen illud placide ferendum esse

quum humanum esset. Quod, argumenti dispositionis rite memor, *exemplo* alicujus Syracusas petere volentis et, ante cognitis regionis illius commodis et incommodis, tamen iter facientis, deinde quod jure queratur non habentis, illustrat. Idque porro Cap. XVIII ad vitam transfert. Cap. XIX relictis exemplis ad praecepta transit. Proponit hanc argumentationem: filii morte nec matri nec filio quidquam mali accidit. Priorem partem brevissime ordinis potius servandi, quam matris consolandae gratia, tractat. Duo, inquit, movent lugentem, aut desiderium mortui: id per se tolerabile apparet; *nam absentes abfuturosque, dum viverent, non flemus, quamvis omnis usus illorum nobis et conspectus ereptus sit. Judicemus illos abesse, et nosmetipsi nos fallamus* (vide notam ad hunc locum), aut haec cogitatio: *Non erit qui me defendat, qui a contemptu vindicet.* Sed hujus rei solatium profert e temporum conditione; *quum plus gratiae orbitas conferret quam eriperet.* Sed cito Marciam nobilem matrem objicientem facit: *Non movent me detrimenta mea. Etenim non est dignus solatio, qui filium sibi decessisse, sicut mancipium, moleste fert.* Qua re Seneca ad alteram argumentationis partem transit. Quum autem non sua sed filii causa lugeret, alterutrum eam moveret necesse erat, quod decessisset filius, aut quod non diu vixisset. Quorum prius non causam tibi lugendi afferre potest, ait Seneca; sic semper debuisses lugere, quum moriturum eum semper scires. Nec quidquam mali filio in morte posse accidere docet

Seneca, quae si ipsa nihil est, omnia ad nihilum redigat, eoque nomine maxime sit laudanda, quod sic hujus vitae mala terminet (Cap. XX). Si vero aliquid est mors, *bonum sit* necesse est, atque hoc probandum restabat. Sed hanc disputationis partem in capita duo ultima distulit. Itaque transit in fine Capitis XX ad alteram hujus argumentationis partem, qua probet Marciae neque hoc nomine lugendum esse, quod filius non diu vixisset (a fine Capitis XX usque ad medium Caput XXIV).

Ibique exemplis Pompeji aliorumque docet quam felices fuissent, si illis vitae meta a carceribus propior fuisset. Porro docet: humanae vitae spatium longissimum cum aeternitate comparatum puncti instar esse habendum, ideoque *parum interesse id extendere, cujus quantumcunque fuerit incrementum, non multum aberit a nihilo;* filium denique, cum quantum vivere debuisset vixisset, satis vixisse. Denique mala recenset quae longiori vitae saepe omnem voluptatem auferunt. Quae enumeratio Senecae occasionem praebet miserum Marciae patris Cremutii Cordi exitum commemorandi.

Capite XXIII maturam boni filii mortem vel ideo beatam praedicat, quod *animis cito ab humana conversatione dimissis facilius ad superos iter sit.* Tum vero mortem aliquid, et bonum quidem esse, statuendum esset. Et sic Senecam sponte rediisse videmus ad quaestionem de morte, quam Capite XX reliquerat. Quam cur in finem consolationis distulerit paucis dicendum puto. Jam exemplis rationi-

busque Seneca, quantum in se erat, propulsaverat luctum Marciae, majus aliquid et melius pro depulso luctu ei reddere nunc studet. Filium matri quasi reddit. Mortui virtutes in matris memoriam revocat. Eas non periisse sed in feliciorem statum transiisse docet. Filium inquit non amisisti.

Pessima ejus et ipsi molestissima istic jacent, ossa cineresque. Integer ille, nihilque in terris relinquens, fugit et totus excessit Cap. XXV. *Nunc nihil habet quo avocetur: numquam tibi sollicitudini, numquam moerori erit. Quod unum ex tam bono filio poteras dolere, doluisti: cetera exemta casibus plena voluptatis sunt, si modo uti filio scis, si modo quid in illo pretiosissimum fuerit intelligis. Imago dumtaxat filii periit: ipse aeternus et felix est* (Cap. XXIV).

Deinde in illius plenae felicitatis praedicationem exspatiatur, et inducit, cap. ultimo, Cordum filiam consolantem omniaque, quae noster dixerat, quasi perorantem. Ut facile intellectu est quam efficax doloris levamen apud Marciam filii quasi in terras, saltem in matris animum fuerit devocatio; ita evidens sit necesse est haec non in Marciae animum restitui pro luctu potuisse, nisi subducto prius rationibus et exemplis isto luctu. Idcirco laudationem conditionis mortuorum jure a capite XX distraxisse nostrum puto. Unicus hic denique locus erat quo Marciae patrem mortuum, et cum nepote in locis illis beatis versantem, adhortantemque inducere posset, sive prosopopoeiam adhibere; quam figuram quum veteres tamquam plurimum ponderis haben-

tem in finem orationis differre solerent, Seneca quoque jure haec omnia in finem consolationis posuisse dicendus est. Conf. Quinct. Inst. Orat. Lib. IV. Cap. I. p. 304. et nota mea ad Cap. XXVI. § 1. verba: *Puta itaque.*

Personarum, quae maxime in censum veniunt, descriptio.

Marcia nobilis fuit matrona. Id vel ex hoc patet quod Liviam Augustam familiariter coluit (cons. cap. IV § 1), et magnos viros affinitate sibi conjunctos habuit (cap. I. § 6). Studiis a patre Cremutio Cordo tamquam hereditario bono acceptis (cap. I. § 6) informata fuit. Ejus morum elegantiam eruditionemque testatur noster (cap. I. § 1 et § 6, cap. VIII. § 2); sed multo evidentius eo probat, quod praeclaram illam consolationem tute et cum fructu huic mulieri committere se posse statuerit. Insigni fuit pietate in patrem; cujus a Sejano exagitati voluntariam mortem, quamdiu ratio suadebat, inhibuit; sed aliter a patre moriente edocta non impedivit. Cujus rei dolorem coram patre repressit, post ejus obitum vero palam declaravit, nec seculi impietatem secuta, nec Tiberii tyrannidem verita. Praeclaros patris libros, quos Senatus per aediles cremandos censuerat (Tacit. Ann. IV, 35), praeter alios Marcia quoque occultavit, primamque occasionem eos iterum in lucem edendi arripuit, (Consol. cap. I. § 3 et Dio LVII, 24).

Sic patris memoriae, sic Romanis studiis consuluit Marcia. Sed quanta pietate coluit patrem, tanta sedulitate excoluit liberos. Habuit quatuor liberos, duos filios, duasque filias et ex iis nepotes. (Cons. XVI. § 4 et § 6). De uno filio nihil novimus nisi quod ante fratrem Metilium mortuus erat XVI. § 4. Alter vero filius Metilius, qui juvenis matri ereptus est morte, et de cujus morte haec consolatio scripta est, quam praeclare a matre sit institutus ex hoc libro abunde patet. Parvulus patrem jam amisit (XXIV. § 1.) Idcirco haec educatio quam ardua res fuerit viduae matri primo obtutu apparet, praesertim in Romana civitate tum corruptissima (Cap. XXI. § 2. XXII. § 1). *Adolescens statura*, ut Senecae verbis utar (Cap. XXIV. § 1 et 2) *pulchritudine, cetero corporis robore castris natus, militiam recusavit, ne a matre discederet. Numquam a conspectu tuo (Marcia!) recessit: sub oculis tuis studia formavit. Excellentis ingenii et aequaturi avum, nisi obstitisset verecundia, quae multorum profectus silentio pressit. Adolescens rarissimae formae, in tam magna mulierum turba viros corrumpentium, nullius spei se praebuit: et quum quarumdam usque ad tentandum pervenisset improbitas, erubuit, quasi peccasset quod placuerat.* Neque successu felici caruit haec morum sanctitas. Nam *puer admodum* sacerdos factus (Conf. nota) est. *Fuit jam juvenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curiosus* (XII. § 3.)

Sed filium Marciae non diu daturi, Dii immortales statim talem dederunt, qualis diu effici potest (XII. § 4.) Relictis duabus filiabus (XVI § 6), Metilius morte ereptus est juvenis infelici Marciae, quae patrem morientem misere viderat, maritum unumque filium jam tumulo condiderat. *Nullum non acerbum funus est quod parens sequitur, ait noster* XVII. § 6; sed juvenis, in flore aetatis, ornati honoribus, instructi virtutibus, sed Metilii funus quid matri fuerit haud equidem facile dixerim. Omnes consolationes rejecit. Tertius jam praeterierat annus, cum interim nihil ex primo illo doloris impetu cecidisset (Cap. I. § 6 et § 7). At hoc est tempus quo Seneca Marciam, hoc libro consolari conatus est.

Praeter hanc consolationem nullus, quantum interpretes monuerunt, exstat locus in antiquitate ubi diserta Marciae mentio occurrit, nisi Dionis ille de libris Cordi servatis quem attuli. Suspicionem tamen quamdam, in quam incidi quum Taciti An. Lib. I. Cap. V. legebam, etsi non argumentis satis firmatam, tamen haud improbabilem proferam; praesertim qnum dubiis quibusdam, quae me in hac consolatione semper offendere, satisfaciat. Cur scilicet tacet Seneca in tota hac Consolatione de Marciae marito? Nam verba e Cap. XVII. § 1. *jam patri* Senecae esse nondum ut credam perductus sum (vid. nota); et si essent Senecae, huc tamen nihil facerent. Itaque insignis fuerit causa necesse est cur hac de re tacuerit Seneca. Taciti locus si ad Marciam nostram referri posset, nodum solvit, Ann. Lib. I. Cap. V.

Quippe rumor incesserat, paucos ante menses Augustum, electis consciis et comite uno, Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam: multas illic utrinque lacrymas et signa caritatis; spemque ex eo, fore ut juvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae: gnarum id Caesari; neque multo post exstincto Maximo, (dubium an quaesita morte), auditos in funere ejus Marciae gemitus, semet incusantis, quod causa exitii marito fuisset.

Ingrata igitur recordatio mariti Marciae fuisset necesse erat. Videmus et hanc Marciam Liviae amicam fuisse. Neque tempus obstat; nam haec res accidit anno P. C. XV. Seneca ex exsilio rediit anno P. C. L, Paulo post consolationem scripsisse videtur (vid. temporis definitio): et Metilius sic anno P. C. XLVII obiisset, annos natus forte XXXII. Esset sic eadem atque illa de qua egit Massonius in vita Ovidii ab anno 761—767; cujus avus fuit forte Fabius Maximus, qui consul fuit A. U. 742. De cujus exitu quum, quantum cognoscere potui, nihil exstet; ne illud quidem obstat quod nostrae Marciae avus: *in alieni percussoris venit arbitrium.* XXVI § 3. Conjecturam Oudendorpii de hoc Marciae avo, ad Suetonium pag. 220, quam ipse haud probabilem putet, omitto. Sed breviter de patre A. Cremutio Cordo agendum. Egregius vir vereque Romanus; qui si vitae tempus respicias inter aequales Tiberii est referendus, sin vero animum fortem, libertatis et patriae amore flagrantem, inter Catones Scipionesque locum obtinet.

Hoc libertatis studium et scriptis et dictis declaravit. Scripsit sub Augusto res hujus imperatoris, et bellorum civilium historiam (Vossius de hist. Lat. I. cap. XXII). Quod non literarum studio, sed Romani quoque populi amore ductus videtur fecisse. Idcirco in historia bellorum civilium Bruti et Cassii merita in Remp. ostenderat. Eos cedentis jam libertatis seros vindices summis celebraverat laudibus. Et quantopere aequales sui ab horum excellentia degenerasse sibi viderentur declarabat: *Brutum et Cassium Romanorum ultimos vocando* Tacit. Ann. IV. cap. 37. Suet. in Tib. cap. 61. Julius Caesar et Augustus et tulere ista et reliquere, cum Cordus iis historias suas recitavit Suet. Tib. cap. 61 et Tacit. Ann. IV, 34. Tiberius non tulit. Accedebat quod eo jam adulatio devenerat, ut in Pompeji theatro a Tiberio restituto statua ponenda decerneretur Sejano. Cons. XXII. § 3. Indignationem non repressit Cordus: non dubitavit exclamare: tunc vere theatrum perire. Quod ex aliorum exemplis jam colligi potuerat, accidit. Accusatur Cordus novo ac tunc primum audito crimine, *quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset* Tacit. Ann. IV, 34. *Jam, canes illi acerrimi, delatores circumlatrare hominem, et illum imperatum* incipiunt (XXII. consol.)

Quid faceret Cordus! Sciebat inter Sejanianos satellites mortem unam patere servitutis fugam (Cons. I. § 2). Itaque relinquendae vitae certus liberrimam ad Senatum orationem habuit, vitamque inedia finivit (Tacit. Ann. IV 34 et 35. Et Consol. XXII.)

Denique brevissime agere constitui de Areo. De hoc philosopho et rethore Alexandrino pauca tantum posteris innotuere. Multa de arte rhetorica scripsit (Quinctilianus I. O. Lib. III. cap. I). Ejus quoque rhetoricae definitio tradita est, quam dicebat artem esse dicendi secundum virtutem orationis (Quinctil. I. O. Lib. II. cap. XV.). Ex cons. cap. IV. aliisque Senecae scriptorum locis patet eum Romae degisse. Fuit Augusti praeceptor, qui ejus et filiorum Dionysii et Nicanoris contubernium iniit (Suet. in Aug. Cap. LXXXIX), eumque valde dilexit et *συμβιωτὴν* appellavit (Meibomius de vita Maec. cap. VI, 4). Aliud Augusti in praeceptorem reverentiae exemplum affert Dio LI p. 454 D., ubi refert: Augustum ob hasce tres causas se captae urbi Alexandriae parcere declarasse; ob deum Serapin, ob Alexandrum urbis conditorem, denique ob Areum Alexandrinum. Si hic denique idem est, ut Ruhkopfius conjicit, qui Lib. I. de Clem. cap. XV apud Senecam occurrit nomine T. Arius, habemus ejus quoque in filium clementiae luculentum exemplum. Quem in parricidio deprehensum exsilio damnavit quidem, sed Massiliae continuit et annua ei praestitit, quanta praestare integro solebat.

De tempore quo Consolatio scripta esse videtur.

Plurima hac de re jam dedit vir doctus Heidbreedius; qui hanc tenuit rationem, ut quam arctissimis

finibus includat disputationem, et prius ostendat temporis spatium, quo scriptam esse consolationem non veri simile sit; deinde reliquum temporis spatium, intra quod virisimillime scripta sit consolatio, conjectura accuratius definire conetur.

Prior pars tam accurate et cum judicio scripta, tam antiquitatis auctoritate fulta mihi visa est, ut ejus summam huc referendam censeam. In ea autem ostendit: veri esse simillimum consolationem ad Marciam neque Tiberii aetate, neque sub Caligula, neque etiam ante exsilium Senecae sub Claudio scriptam esse. Sub Tiberio autem non scripta est; nam quum scriberetur consolatio, jam editae erant a Marcia patris A. Cremutii Cordi historiae; quo nomine magnis illa laudibus effertur a Seneca in ipsa Consolatione (I. § 3 et 4). Hae autem editae sunt initio Caligulae imperii (Suet. in Calig. XVI).

Ergo tunc demum scribi potuit, postquam Caligula imperium nactus est. Quod si ponamus, sequitur: Metilium, Marciae filium, mortuum esse aut sub Tiberio aut sub Caligula. At sub Tiberio mortuum esse Metilium non verisimile est; quum non ante diem supremum obiisse videatur, quam avi scripta edita sunt.' Nam sic loquitur Seneca ut facile intelligamus Marciam, quum patris scripta ederet, nondum alteri illi infortunio succubuisse, sed totam fuisse in vindicanda Cordi memoria. Verum, filio defuncto, rationem studiorum habebat nullam, quippe quae praeter dolorem nihil in animo haberet. Propter hanc ipsam doloris per-

tinaciam Seneca ei haec objicit: *Studia, hereditarium et paternum bonum, surdas aures, irrito ac vix ad brevem occupationem proficiente solatio, transeunt.* Quae verba non cadunt in eam feminam, quae, quod in personam patris talem se gesserit, tantopere laudatur, quae optime meruisse de posteris, optime de Romanis studiis dicitur. Unde satis efficitur, Metilium, quum Cordi historiae ederentur, adhuc in vivis fuisse. Adde, vix verisimile esse, Metilium sub Tiberio auctum esse honoribus sacerdotioque functum, nepotem ejus viri, quem mori jusserat Tiberius, Cremutii Cordi scilicet.

Porro docemur (Consol. XXIV. § 2) Marciam adjuvisse filium in petitione sacerdotii; quod ab iis tantum fieri poterat qui principis gratia florebant. At quomodo Cordi filia, Sejanum Tiberiumque exosa, rarissimae pietatis exemplum, a patris interfectoribus beneficii loco pro filio sacerdotium petere potuisset? Ex quibus patet, neque sub Tiberio vita defunctum esse Metilium, neque sub eodem principe honoribus auctum. Itaque fieri demum sacerdos potuit Caligula rerum potito aut postea. Sic vero brevissimum est tempus, quo sub Caligula scribi potuerit Consolatio ad Marciam. Nam Caligula per tres fere annos et decem menses principatum tenuit. Proinde, si consolationem sub Caligula scriptam ponimus, intra hoc temporis spatium: primum edi A. Cremutii cordi scripta, deinde Metilius sacerdotio fungi atque mori, tum Marcia per tres annos continuos, et ultra, lugere, postremo Consolatio a Seneca componi debe-

bat. Quod quidem parum verisimile videtur. Etiam sub Claudio scribi potuit Consolatio, antequam Julia, Germanici filia, cujus supplicium imperator Messalinae largitus fuerat, Senecam quoque casu suo obrueret. Ipsa Julia, crimine incerto, nec defensione ulla data in exsilium missa, mox occisa est, et Seneca, quod adulterium cum illa commisisset, in Corsicam insulam relegatus est. Sic placuit Messalinae, sic Claudio, meretricis libertorumque ministro. Hoc factum est Claudio nuper rerum potito, non tamen statim ab excessu Caligulae, sed aliquo tempore post. Sed neque hoc tempore, quod inter necem Caligulae et Senecae exsilium interest, Consolatio ad Marciam scripta videtur. Non multum enim patuit illud tempus, nam, non ita multo post quam in exsilium mitteretur, Polybii frater diem obiit supremum; quem Polybium Seneca exsul de morte fratris consolatus est. Hanc autem ad Polybium Consolationem aliquo tempore, ante expeditionem Claudii in Britanniam scriptam esse constat.

Praeterea de Claudio semper tamquam de novo principe loquitur in illa consolatione (XXXI. 4. XXXII. 1.) Ergo Seneca non multo postquam Claudius imperator factus erat, in insulam Corsicam relegabatur, neque longum tempus est, quo ante exsilium, sive sub C. Caesare, sive sub Claudio, Consolatio ad Marciam scribi potuit. Circiter annus videtur fuisse.

Itaque verisimillimum est consolationem ad Marciam aut exsilii tempore, aut post exsilium esse

scriptam. Quae omnia Heidbreedius in disputatione laudata disserit pag. 7—11.

Lipsio ne in mentem quidem venit hunc libellum a Seneca in exsilio componi potuisse, et post exsilium demum scriptum colligit. Heidbreedius illam consolationem exsilii tempore compositam esse conjicit. »Quidni vero, ait ille, in exsilio haec quoque Con»solatio scribi potuerit? Nam quum Consolationes et ad »Polybium et ad Helviam matrem eo tempore compo»suit Seneca, tum multa alia scripsit, et animo operi»bus suis vacante modo levioribus studiis oblectatus »est, modo ad considerandam sui universique naturam »avidus veri insurrexit. Et sunt revera aliquot loca »in Consolatione ad Marciam: quae non sine specie »quadam ad exsilium, quod tulit, referre possis" (IX. 3.). Quis umquam nostrum de exsilio cogitare ausus est? (XXII. 1 et 2). *Adjice incendia, ruinas.... Post haec exsilium* (XX. 2). *Mors exsulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus ostendit, nihil interesse, inter quos quisque jaceat.* Sed bene addit Heidbreedius nihil his inesse, quod concludere nos cogat hanc Consolationem exsilii tempore esse scriptam. Neque aliter judico de loco Cap. XVII. § 4. *Erit Dionysius illic tyrannus, libertatis, justitiae, legum exitium, damnationis cupidus etiam post Platonem, vitae etiam post exsilium.* Cui loco adjecit Heidbreedius: »Num »haec scribere potuit Seneca (post exsilium), qui »exsilium non ita fortiter tulit, ut aliis ignaviam »exprobrare posset?" Rationem cur Seneca haec

scribere non potuerit post exsilium requiro. Mihi contra videtur Seneca haec verba numquam exsilii tempore, sed post exsilium dicere potuisse.

Objicit enim Dionysio: quod vitae cupidus fuisset *post exilium* i. e. postquam exsilio affectus esset, (vid. not. ad illum locum) et quum adhuc in exsilio versaretur. Hoc nimirum majore Senecam jure dicere potuisse *post exsilium* suum, postquam Romam redierat, quam quum, ut Dionysius, exsul esset, nemo non videt. Haec inter duas significationes vocabulorum *post exsilium* differentia bene observanda est.

Unica autem conjectura, qua ductus Heidbreedius verisimilius putat consolationem ad Marciam exsilii tempore, quam post exsilium, scriptam esse, nititur hoc e Consolat. ad Helviam XVI, 2. loco: *Non est quod ad quasdam feminas respicias, quarum tristitiam semel sumtam mors finivit: nosti quasdam, quae amissis filiis, imposita lugubria numquam exuerunt*: »Seneca, ait Heidb., respexit aut ad Octaviam, Marcelli matrem, aut ad Marciam, aut ad utramque, aut denique ad quamlibet. Sic autem ego existimo, me non sine jure, donec meliora afferantur, de Marcia quoque intelligere.'' Sed haec ipsius Heidb. verba, omni hanc suspicionem fundo carere satis indicant. Itaque quomodo inde collegerit consolationem in exsilio medio esse scriptam proferre non attinet. Contra, ut jam ex loco de Dionysio verisimilius est; eam post exsilium esse scriptam, sic complures mihi in ipsa consolatione reperisse videor res, quibus haec firme-

tur opinio. Jam plus quam triennio luxerat Marcia: *Cupissem*, ait Seneca, (I § 8) *itaque primis temporibus ad istam curationem accedere. Leviore medicina fuisset oriens adhuc restinguenda vis:* Cur igitur, jure quaeras, tum non prius Consolationem scripsit? Heidbreedius quoque hunc locum tetigisse vidi, sed inde nihil deduxit. Causa afferri potest, quod aberat Seneca tum adhuc in exsilio, quum Metilius mortem obiret, neque sic aut sciebat: Marciam tam vehementer dolere, aut res in consolatione tractandas non ita accurate noverat, ut admonitionibus ejus auctoritas inesse posset. Ponamus autem Senecam haec in exsilio suo satis accurate novisse, tum ratio necessario, ut mihi videtur, requisivisset, ut diserte declarasset unde factum esset, ut ipse exsilio absens, Romae urbis statum, Marciae acerbum dolorem, Metiliique mores et vitam tam penitus sciret; sed nusquam in tota Consolatione hujusmodi quid occurrit.

Quibus verisimile fit ut tum demum, quum ex exsilio Romam rediisset, Marciaeque pertinacem dolorem cognovisset, illam consolari aggressus sit.

Cur porro cap. XVII urbis exemplo usurus, Syracusas potissimum adhibuit? Credo quod exsuli recens reverso loca Corsicae insulae propinqua in animo haerebant, et sic statim menti occurrebant. Videtur autem mihi omni fere dubio carere: Senecam, si ipse exsul haec scripsisset, aut suo vitae mala fortiter ferendi exemplo usurum fuisse, aut, si adhuc fractus esset dolore, quod verisimilius videtur, eadem gloriose praedicaturum, quae matri Helviae dixit (Consol. ad

Helv. cap. I § 3.): »Se eum esse qui omnium solus suos consolatus esset, quum ipse ab aliis complorare-tur." Sed nihil hujusmodi in consolatione ad Marciam profert. Denique ipse orationis color non est viri malis afflicti, sed liberi erectique animi. Quod pro multis unus hic locus probat: (XX § 2): *Mors exsulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus, ostendit, nihil interesse inter quos quisque jaceat.* Quae verba non diceret vir exsilio multatus, hujusque dolore afflictus. Itaque cum Lipsio; nam Ruhkopfii argumentum, ut bene ostendit Heidbreedius (pag. 9 et 10) non admittendum est; statuendum mihi videtur: veri esse simillimum: consolationem ad Marciam brevi post Senecae exsilium scriptam esse. Huic autem opinioni favere mihi videntur ea, quae manu sua scripsit Casaubonus in Senecae illius, quam supra retuli, editionis titulo. *Exul scripsit consolationem ad Polybium; quo toto libro mire adulatur Caesari. Scripsit etiam exul consolationem ad matrem suam Helviam: libellum non legendum juventuti, sed ad verbum ediscendum.* Has duas tantum Consolationes ut in exsilio scriptas nominat, sed nihil tale de consolatione ad Marciam addit, cum iterum in consolationis ad Helviam initio annotet: *Est liber ab exule Seneca scriptus, et ad matrem missus.*

PARS ALTERA

QUA CONTINETUR

L. A. SENECAE

AD MARCIAM CONSOLATIO

CUM

NOTIS.

AD MARCIAM

CONSOLATIO.

LIBER UNUS.

Nisi te, Marcia, scirem tam longe ab infirmitate muliebris animi, quam a ceteris vitiis recessisse, et mores tuos velut antiquum aliquod exemplar aspici:

Consolatio. De iis qui apud veteres in consolationibus conscribendis operam posuerunt vid. Wyttenb. ad Plut. Moral, Tom. VI. p. 2, pag. 697-700.

Antiquum aliquod exemplar. Haec petita sunt e constanti hominum opinione: genus humanum perpetuo in pejus mutari. Jam Homerus hoc conquestus est. Euripidis locum afferam ex Heracl. vers. 325. sqq.

εὐγενὴς δ' ἀν Ἕλλαδα
Σώζεις πατρῷαν δόξαν: ἐξ ἐσθλῶν δὲ φὺς,
Οὐδὲν κακίων τυγχάνεις γεγὼς πατρὸς,
Παύρων μετ' ἄλλων· ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως
Εὕροις ἄν, ὅςτις ἐστὶ μή χείρων πατρὸς.

Conf. Luciani Tim. in Ed. min. Hemsterh. pag. 101 v. 50 sqq. Horatianum illud: *Aetas parentum* cet. jam contulit Ruhk. ad Benefic. Lib. I. Cap. X. Sed ex eodem Senecae loco patet, eum ipsum prudentius et acutius sensisse. Tacitus quoque huic vulgi sententiae suffragium suum

non auderem obviam ire dolori tuo, cui viri quoque libenter haerent et incubant, nec spem concepissem, tam iniquo tempore, tam inimico iudice, tam invidioso crimine, posse me efficere, ut fortunam tuam absolveres. Fiduciam mihi dedit exploratum iam robur animi, et magno experimento approbata virtus tua. 2. Non est ignotum, qualem te in personam patris tui gesseris, quem non minus quam liberos dilexisti, excepto eo, quod non optabas superstitem: nec scio

addere dubitat Ann. III, 55. *Nisi forte rebus cunctis inest quidam velut orbis, ut, quemadmodum temporum vices, ita morum vertantur: nec omnia apud priores meliora, sed nostra quoque aetas multa laudis et artium, imitanda posteris, tulit.*

Haerent. Hoc verbum ipse, noster sic explicat do Tranq. I. § 8. *Sibi ipse animus haereat, se colat, nihil alieni agat.*

Inimico judice. Saepe hac comparatione utitur Seneca. Insignis locus est Ep. XXVIII. § 7. *Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes, te ipse coargue. Inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novissime deprecatoris:* Conf. de Ira III, XXXVI. § 3.

Non optabas superstitem. Scilicet quoniam Romana civitas tam miseris tum premebatur calamitatibus, ut Cremutius Cordus vitam retinere non posset, nisi libertatis studium deponeret et Sejano adularetur. Vid. Cap. XXII. § 4. Nisi fortasse locus ita sit explicandus: Omnes boni parentes optant ut, fatis ordine euntibus, liberos relinquant superstites. Est votum parentum. Ut Marcia sperabat suos liberos superstites relinquere, mori ante liberos, sic optare poterat ut pater ante se moreretur.

Nec scio an. Wolfius in lectionibus ad Tuscul. Quaest. Lib. II. § 41. Ed. Orellio 1829

an et optaveris. Permittit enim sibi quaedam et contra bonum morem magna pietas. Mortem A. Cremutii Cordi, parentis tui, quantum poteras, inhibuisti. Postquam tibi aperuit, inter Seianianos satellites illam unam patere servitutis fugam, non favisti consilio eius,

annotat: *haud scio an* »est formula affirmandi cum retentione quadam pro: *haud scio annon.*" Conf. Ibid. ad Lib. III. § 55 et ad Lib. IV. § 52. de formula simili: *Nescio ecquid.*

Bonum morem. Lipsius explicat: *contra morem ex lege naturae.* Sed sic *morem* et *legem* confundere mihi videtur, quae tamen longe inter se differre nemo nescit. Et cur tum addidisset auctor *bonum*, de re fatali necessitate constricta, ad quam humana assensio nihil sane faceret? Respexit fortasse Seneca ad morem, quo Cato, aliique vere Romani, desperata reip. causa, manus sibi intulerant. Quem morem quantopere noster probaverit videmus Ep. XXVII. § 9. Ep. LVIII. § 33. et hujus libri Cap. XX. § 4. Simplicior vero explicandi ratio haec est ut *bonus mos* sit: optare ut parentes nostram mortem non videant, optare, quod ipsi parentes optant.

Mortem — inhibuisti. Ergo noverat Marcia patrem in animo habere manus sibi inferre? At Cap. XXII. diserte traditur Cr. Cordum filiam fefellisse, et clam illa a coena abstinuisse. Difficultas sic expedienda mihi videtur. Quum Cordus a Sejani satellitibus infestaretur jam voluntariae mortis consilium iniit. Quod oratione ad Senatum habita patefecit (Tacit. Ann. IV, 34 et 35). Hoc celari Marciam non potuisse intellectu facile est. Consilium igitur illud dehortata est (*mortem patris, quantum potuit, inhibuit*). Cordus, filiam inexorabilem videns, eam fefellit (Cap. XXII. § 4), a coena clam abstinuit, et tum demum, quum jam jam mortem obiturus esset, filiae rem aperuit; quae tunc *victa manus dedit.*

sed dedisti manus victa, fudistique lacrimas palam, et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte

Sed dedisti—texisti. Locus variis et lectionibus et interpunctionibus tentatus. Nobis tantum cum Lipsio et Ruhkopfio res sit. Lipsius eatenus sequitur Pincianum ut, contra omnes libros scriptos, *palam* mutet in *clam* et legat: *fudistique lacrymas clam.*" Lacrymas, inquit, abscondit Marcia, vel ne patri dolorem adderet; vel quia sub tyrannide nec tutum." His vero rationibus non adducor ut, pro *palam*, *clam* legam. Nam Marcia poterat et *palam* lacrymas fundere, et tamen non coram patre qui se abdiderat (Cap. XXII. § 5); et in eo quoque Marciae apparuit pietas quod tyrannidem nontimuit.

Ruhkopfius autem retinet *palam*, mutataque interpunctione corrigit: *fudistique lacrymas; palam et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte texisti.* »Devorare enim gemitus ille dicitur, ait Ruhkopfius, qui luctum vult obruere lacrimis suppressis: conf. Consol. ad Helv. XVI. § 7. *volumus eum interim obruere et devorare gemitus.* Domi itaque lacrimas profudit, ut mortem patris inhiberet, palam vero sibi temperavit a lacrymis."

Hactenus Ruhk. sed legamus locum, ex consol. ad Helviam totum. Ea nempe, quae Ruhk. attulit, haec sequuntur: *per ipsum tamen compositum fictumque vultum lacrimae profunduntur.* Itaque colligendum fuisset ex hoc loco, non ut Ruhk. fecit: Marciam palam a lacrimis temperasse, sed: eam, etsi gemitus illos retinuerit, tamen in publico lacrimas profudisse, et hoc ipsum volebam. De ceteris Ruhkopfii verbis: »*Domi* itaque lacrimas profudit ut mortem patris inhiberet" vellem tacere possem.

Antea conata fuerat Marcia patrem a mortis consilio dehortari; postea pater illi aperuit hanc unam esse servitutis fugam et se a morte jam non revocari posse (Cap. XXII); tunc filia victa manus dedit. Nunc autem, ut Rukh. vult,

texisti: et hoc illo seculo, quo magna pietas erat, nihil impie facere. 3. Ut vero aliquam occasionem mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumtum erat supplicium, in usum hominum reduxisti, et a vera illum vindicasti morte, ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus san-

nihilosecius lacrimaretur apud patrem, *ut ejus mortem inhiberet*, quamvis id fieri non amplius posse ipse pater diserte filiae declarasset (XXII. § 5). His de causis et ex hujus cum XXII Cap. sedula comparatione mecum statuebam: veterem lectionem interpunctionemque esse retinendam; quam postea et editione stereotypa receptam vidi: *Sed dedisti manus victa, fudistique lacrimas palam, et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte texisti.* Locum autem sic breviter explico: Postquam Marcia cognovit ex patre mortem unam illi patere servitutis fugam (Cons. Cap. I. § 2), eumque inedia jam eo pervenisse ut a morte revocari non posset (Cap. XXII § 5), victa manus dedit; et coram patre lacrimas repressit, ne tristem mortem suo moerore patri acerbiorem faceret. Quod tamen non indolentiae tribuendum est. Nam lacrimas illas, coram patre repressas, palam profudit Marcia, nec metu tyrannidis, neque exemplo corrupti aevi luctum illum, quem de patre injuste accusato habebat, hilari fronte texit, sed, ut verecundae mulieri conveniebat, inanes gemitus devoravit.

Nihil impie. Ruhk. mutat *impie* in *pie;* sed hoc nimium ideoque nihil significat. Foret aeque absurda haec lectio, ac si de turba sicariorum diceres: sunt isti tam scelesti, omnisque humanitatis expertes, ut eorum ii valde humani sint appellandi, qui nemini parcant. Jure autem aliquis te rogaret, quinam eorum igitur scelesti et inhumani essent appellandi?

Monumenta. Explicat Lipsius, sequente Ruhkopfio, per

guine suo scripserat. Optime meruisti de Romanis studiis; magna illorum pars arserat: optime de poste-

bibliothecas. Repugnant ratio et latinitas. Marciam libros patris in bibliothecas reposuisse non arbitror, *sed magis in usum hominum reducebat eos,* ut ait noster. *Monumenta* autem ab hujus aevi scriptoribus *scripta omnia dicuntur quae memoriae serviunt, et rerum praeteritarum fidem facere possunt,* ut jam Buchnerus explicavit ad Plin. Sec. Ep. 40 Lib. X. Quam explicationem confirmant: Senec. de Tranq. VI. § 2. *Isocrates Ephorum... a foro subduxit, utiliorem componendis monumentis historiarum ratus.* Tacit. Ann. IV, 61. *monumenta ingenii ejus haud perinde retinentur.* M. A. Senecae suas 7 Ed. Gron. p. 44: *Omnia potius subeunda quam monumenta ingenii sui ipsum exurere.* Ejusd. praef. ad Lib. V Controv. Itaque sensus est: restituisti libros ut essent publica monumenta, veterum Romanorum praestantiae scil. et libertatis studii.

Magna illorum pars arserat. Ruhk. explicat: »multi horum librorum desiderio tenebantur." Itaque conjunxit *arserat* cum genitivo *illorum* scil. librorum, intellecto *desiderio*: ut sit: *magna pars* (scil. studiorum) *illorum* (librorum desiderio) *arserat;* sed *desiderium* in tali sensu numquam omitti potest: aut *illorum* retulit ad *studiis* ut sit pro: *magna studiorum pars arserat:* et tunc intelligi debet: *desiderio Cordi librorum;* quod aeque absurdum videtur. Denique *arserat* tum explicatur *per ardebat,* quod fieri nequit. Simplicior veriorque explicandi via iniri posse mihi videtur. Senatus Cordi libros per aediles cremandos censuerat (Tacit. Ann. IV, 35); ideoque dicere puto Senecam: Magna illorum (scil. librorum) pars arserat, incendio deleta erat, nulla fortasse eorum mentio ad posteros venisset, nisi tu quoque Marcia alia librorum exempla celasses et servasses. Jure autem dicit *magna pars;* nam Marcia non solum, sed alii quoque libros illos celaverant. Conf. Dio LVII, 24: *Ardere* pro *incendio deleri* usurpat et alibi noster.

ris, ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata: optime de ipso, cuius viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio, Romana cognosci; quamdiu quisquam erit, qui reverti velit ad acta maiorum; quamdiu quisquam, qui velit scire, quid sit vir Romanus, quid subactis iam cervicibus omnium, et ad Seianianum iugum adactis, indomitus sit homo, ingenio, animo, manu liber. 4. Magnum mehercule detrimentum respublica ceperat, si illum ob duas partes pulcherrimas in oblivionem coniectum, eloquentiam et libertatem, non eruisses. Legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus, vetustatem nullam timet. At illorum carnificum cito scelera quoque, quibus solis memoriam meruerunt, tacebunt. Haec magnitudo animi tui vetuit me ad

De Tranq. IX § 4. *Quadringenta millia librorum Alexandriae arserunt.*

Manu liber. Lipsius explicat: *scriptione et stilo liber*, Ruhk. autem: »quoniam mortem sibi ipse conscivit." Sic vero *liber* de *libertate in morte* accipit; at non qualis in *morte*, sed qualis in *vita* fuisset quaestio erat; nec sane ex scriptis ejus cognosci poterat eum sibi manus intulisse. Accedo ad Lipsii opinionem; nam (ut ad cap. XIX. explicavit Lipsius) *manu facere* significat apud Senecam *sponte*, *arte*, *industria facere;* itaque *manu liber* significare videtur *arte sua* i. e. scriptione et stilo liber.

Eruisses i. e. *e tenebris in lucem protulisses;* sic enim hoc verbum explicat Seneca, de Benef. Lib. III, XXXII § 4: *quos jam consumsisset oblivio, nisi illos filiorum gloria e tenebris eruisset, et adhuc in luce retineret. Obruere* contra est *abscurare* conf. van Staveren ad Nepot. IV cap. I. § 1.

sexum tuum respicere, vetuit ad vultum, quem tot annorum continua tristitia, ut semel obduxit, tenet. 5. Et vide quam non surrepam tibi, nec fucum facere affectibus tuis cogitem. Antiqua mala in memoriam reduxi: et vis scire hanc quoque plagam esse sanandam? ostendi tibi aeque magni vulneris cicatricem. Alii itaque molliter agant, et blandiantur: ego confligere cum tuo moerore constitui, et defessos exhaustosque oculos, si verum audire vis, magis iam ex consuetudine, quam ex desiderio fluentes, continebo, si fieri potuerit, te favente remediis tuis; sin minus,

Fucum facere. Nonnulli libri scripti habent *furtum facere*, quod Lipsius praefert. Ruhk. mavult *fucum facere.* Utra lectio sit praeferenda, utriusque dicti explicatio statim ostendet.

Fucum facere e. g. vultui significat, *alium* ei pulcriorem, ut putatur, colorem, quam qui a natura datus erat, obducere. Sic *fucum facere affectibus* est: conari eos *alios* ostendere quam revera sunt: moesto e. g. monstrare ejus luctum non tantum esse quantum putaverit: mala, quibus premitur: non tanta esse ut ideo tam vehementer dolere debeat.

Furtum facere affectibus autem nihil aliud significare potest nisi: malis, per quae Marcia dolore affecta erat, quaedam detrahere et ex ejus mente quasi pellere. Quod hoc loco optime convenit. Declarat Seneca se nullum ex malis celare velle Marciam, sive *furtum facere* ejus affectibus, contra: *antiqua se mala in memoriam ejus reducere. Subrepere* porro et *furtum facere* optime conjunguntur, unamque constituunt notionem. Denique et alibi sic loquitur Seneca. Conf. Consol. ad Helviam III § 2. *Nil tibi subduxi ex malis tuis, sed omnia coacervata ante te posui.* His de causis lego cum Lipsio *furtum facere.*

vel invitâ. Teneas licet et amplexeris dolorem tuum, quem tibi in filii locum superstitem fecisti. 6. Quis enim erit finis? Omnia in supervacuum tentata sunt. Fatigatae allocutiones amicorum; auctoritates magnorum et affinium tibi virorum; studia, hereditarium et paternum bonum, surdas aures, irrito ac vix ad brevem occupationem proficiente solatio, transeunt. Illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas aerumnas quoque componit, in te una vim suam perdidit. 7. Tertius iam praeteriit annus, quum interim nihil ex primo illo impetu cecidit: renovat se, et corroborat quotidie luctus, et iam sibi ius morâ fecit, eoque adductus est, ut putet turpe, desinere. Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi, dum surgunt, oppressa sint: ita quoque haec tristia et misera, et in se saevientia, ipsa novissime acerbitate pascuntur, et fit infelicis animi prava voluptas dolor. 8. Cupissem itaque primis temporibus ad istam curationem accedere. Leviore medicina fuisset oriens adhuc restinguenda vis: vehementius contra inveterata pugnandum est. Nam vulnerum quoque sa-

In supervacuum. Dictio Senecae frequens. De Clem. Lib. I cap. V § 4: *potestate sua in melius placidiusque uti.* De vita Beat. V, 3. *in perversum solers*, de Clem. I, XIX § 7 *in melius potens.* Sic et Graeci. Sophoc. Oedip. Tyr. v. 699.

ἐρῶ· σὲ γὰρ τῶν δ' ἐς πλέον,
γύναι, σέβω.

Vulnerum quoque Sanitas. Acute sane ad hunc locum Ruhkopf. » A. C. Celsus saniora suadet. V, 21. pag. 296. ed. bip. tandem et ferrum candens commendat." Sed neque Se-

nitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt: tunc et uruntur, et in altum revocantur, et digitos scrutantium recipiunt. Ubi corrupta in malum ulcus veterarunt, difficilius curantur. Non possum nunc per obsequium, nec molliter assequi tam durum dolorem: frangendus est.

cam tam stulta umquam praecepisse puto. At complura Senecae loca probant quoque eum acerba illa remedia non nisi in gravioribus inveteratisque morbis adhibenda putasse. De Ira I. cap. V § 5. *Nempe medicus primo in levibus vitiis tentat non multum ex quotidiana consuetudine inflectere, et cibis, potionibus, exercitationibus ordinem ponere, ac valetudinem tantum mutata vitae dispositione firmare: proximum est ut modus proficiat: si modus et ordo non proficit, subducit aliqua, et circumcidit: si ne adhuc quidem respondet, interdicit cibis, et abstinentia corpus exonerat: si frustra molliora cesserunt, ferit venam, membrisque, si adhaerentia nocent, et morbum diffundunt, manus affert.* Conf. de Provid. III. § 2. Ep. LXXV § 5. Sed si locum bene consideremus, ante *tunc* aliquid deesse videtur. Verba *tunc et uruntur* sqq. apodosis mihi videtur alterius sententiae partis similiter ac: *dum a sanguine recentia sunt* apodosis erat prioris partis. Itaque transpositis verbis legendum puto: *Nam vulnerum quoque sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt et digitos scrutantium recipiunt: ubi corrupta in malum ulcus veterarunt, difficilius curantur, tunc et uruntur, et in altum revocantur.* Similem confusionem in Cic. Tus. V § 79 locum habere nos monuit in lectionibus suis vir cl. Bake, quam, semel admonitus, facile aliquis reperiet.

Assequi. In hac voce haeserunt Lipsius et D. W. Triller. Ille non adhibuit medelam, Triller proponit, pro *assequi*, *aggredi*, *attrectare*, *prosequi*; prius tamen praefert: repudiato vocabulo *assequi*, quod nimis languere putat. Ab eo dissentit

II. Scio, a praeceptis incipere omnes qui monere aliquem volunt, et in exempla desinere. Mutari hunc interim morem expedit. Aliter enim cum alio agendum est. Quosdam ratio ducit: quibusdam nomina clara opponenda sunt, et auctoritas, quae liberum non relinquat animum ad speciosa stupentem. 2. Duo tibi ponam ante oculos maxima, et sexus et seculi tui, exempla: alterius, feminae, quae se tradidit ferendam dolori: alterius, quae pari affecta casu, ma-

Ruhkopfius, qui vulgatam tuetur lectionem. At sane si, pro *assequi*, *aggredi* legeretur: locus hanc bene cum antecedentibus cohaerentem exhiberet sententiam: non possum nunc leniter tractare hunc pertinacem morbum nec dolorem blanditiis fallere; vis ejus frangenda est. In hujusmodi enim sermone subdolo *aggredi* usitatum est, ut monuit Burmannus ad Phaed. Lib. III. fab. XVI v. 10. *Hac est aggressa garrulam fallacia.* Sed melius fortasse retinetur vocabulum *assequi*, ut locus sic explicetur. In *assequi* est metaphora. v. c. Aeneas apud Virgil. XII, 320 sqq. accepit vulnus. Sagitta haerebat in corpore. Jasides frustra forcipe conatur evellere, et frangere. Deinde per obsequium et molliter assecutus est, potu nempe dictamni. Dolorem *assequi* est *illud* quod *dolorem* efficit. *Frangere* est per remedia vehementiora, ut, si quis telum in corpore frangat, et sic evellat.

Interim pro *interdum* more recentioris aevi auctorum latinorum. Conf. Plin. Sec. Ep. Ed. Longolii pag. 739. Rursus *interdum* pro *interim* habet noster Ep. XCV. § 50. monente Gatakero. Conf. Nauta Diss. de Provid. pars 2. pag. 4.

Affecta. Ruhnkenius ad Vell. Pat. pag. 174 emendari vult. *afflicta.* Saepissime haec verba confunduntur. Conf. Casaub. ad Liv. Lib. V. Cap. XVIII. § 4 et Lib. VI., III. § 2. Ed. Drakenb. E diversa horum verborum significatio-

iore damno, non tamen dedit longum in se malis suis dominium, sed cito animum in sedem suam reposuit. Octavia et Livia, altera soror Augusti, altera uxor, amiserunt filios iuvenes, utraque spe futuri principis certâ 3. Octavia Marcellum, cui et avunculus et socer incumbere coeperat, in quem onus imperii reclinare, adolescentem animo alacrem, ingenio potentem; sed et frugalitatis continentiaeque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandum; patientem laboris, voluptatibus alienum; quantumcunque imponere illi avunculus, et (ut ita dicam) inaedificare voluisset, laturum. Bene legerat nulli cessura ponderi fundamenta. 4. Nullum finem, per

ne quid praeferendum sit statim apparebit. *Affici* dicitur tam in re bona quam mala. Afficimur honore, poena, vulnere. Et tum duplex huic verbo inesse significatio potest. Sic *metu affici* significat aut solummodo *esse in metu*, aut *metu vexari* eoque *affligi*. Quod ultimum verbum semper significat: decidere in rem malam, eaque angi et deprimi. Ideo Cicero haec duo sic jungit, ut *affligere*, quum majorem habeat vim, posterius collocet, Orat pro Quinctio Cap. II. *Difficultatibus affectus atque afflictus*. Quod si consideremus non dubium fore credo quin vulgata lectio retinenda sit. Nam Livia versabatur quidem in re tristi, sed ea non deprimebatur.

Frugalitatis continentiaeque ... admirandum. Intelligendum est vocabulum *causa*, ut sit: *frugalitatis et continentiae causa*. Sic Virgilius Aen. XI, 126: *Justitiaene prius mirer, belline laborum*. Conf. Sanct. Min. Lib. IV. Cap. IV. p. 560.

Bene legerat ... fundamenta. Haec nil nisi amplificationem inanem continent antecedentium. Quae si tollas, confusio illa ingrata persona-

omne vitae suae tempus, flendi gemendique fecit: nec ullas admisit voces, salutare aliquid afferentes. Ne avocari quidem se passa est. Intenta in unam rem et toto animo affixa, talis per omnem vitam fuit, qualis in funere: non dico, non ausa consurgere, sed allevari recusans; secundam orbitatem iudicans, lacrimans mittere. Nullam habere imaginem filii carissimi voluit, nullam sibi fieri de illo mentionem. 5. Oderat omnes matres, et in Liviam maxime furebat, quia videbatur ad illius filium transisse sibi promissa felicitas. Tenebris et solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciens, carmina celebrandae Marcelli memoriae composita aliosque studiorum honores reiecit, et aures suas adversus omne solatium clausit:

rum, qua nunc laborat locus, sublata erit. *Laturum* enim ad Marcellum, *bene legerat* ad Augustum, *nullum finem* ad Octaviam referri debet.

Avocari verbum hac in re usitatum. De Provid. III. § 9. *Mero se licet sopiat, et aquarum fragoribus avocet, et mille voluptatibus mentem anxiam fallat.* Inde *avocamenta* apud Plinium Sec. *Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta exemit, excussit, eripuit dolor.* Lib. VIII. Ep. 23.

Allevari. Etiam hoc verbum hujusmodi sensu usurpari solet. Ep. LXXVIII. § 3. *Multum mihi contulerunt ad bonam valetudinem amici, quorum adhortationibus, vigiliis, sermonibus allevabar.* Curtius Lib. IV. Cap. XV. § 11. *Sisygambis, hortantibus captivis, ut animum a moerore allevaret.*

Lacrimas mittere. Lipsius dedit *omittere* in editione tacite. Quamquam idem significet *mittere*, ut Virgil. Aen. I. 203. *timorem mittite*, hic tamen, ut vitetur ambiguum, *omittere* videtur praeferendum.

a solemnibus officiis seducta, et ipsam magnitudinis fraternae nimis circumlucentem fortunam exosa, defodit se, et abdidit. Assidentibus liberis, nepotibus, lugubrem vestem non deposuit, non sine contumelia omnium suorum, quibus salvis orba sibi videbatur.

III. Livia amiserat filium Drusum, magnum futurum principem, iam magnum ducem. Intraverat penitus Germaniam, et ibi signa Romana fixerat, ubi vix ullos esse Romanos notum erat. In expeditione victor decesserat, ipsis illum hostibus aegrum cum veneratione et pace mutua prosequentibus, nec optare quod expediebat audentibus. Accedebat ad hanc

Assidentibus verbum proprium de iis qui moestos aut aegros consolari volunt et allevare. Conf. de Benef. III. Cap. IX. § 2. Ibid. VI. Cap. XXV. § 1. Ep. XCV, 44. Ep. XCIX, 18. Ep. CI, 3. Sic Graeci *παρακαθίζομαι*. Aristoph. Plut. vs. 727. *Μετὰ τοῦτο τῷ Πλούτωνι παρεκαθέζετο.* Sed conf. vir Cl. Peerlk. ad Taciti Agricol. Cap. 45.

Ipsis illum. Dukerus in indice ad Florum, in verbo *ipse*, corrigit *ipsis illis*. Elegans quidem emendatio, hoc vero loco non admittenda; quoniam nondum de hostibus sermo fuerat, neque pronomen relativum sequitur quod ad *hostes* refertur. Ipse ille locus, ad quem hanc emendationem proponit Dukerus, hoc confirmat Flor. Lib. II. Cap. 2, 1. *Itaque invidens Fortuna principi gentium populo, ipsum illum* (*scil. populum*) *in exitium suum armavit* Conf. Sen. de Benef. Lib. IV. Cap. 37. § 2. Cic. pro Cluentio § 12, § 19 et § 15. Tuscul. Quaest. I. § 29. Itaque tenenda videtur lectio: *ipsis illum.*

mortem, quam ille pro republica obierat, ingens civium provinciarumque et totius Italiae desiderium, per quam, effusis in officium lugubre municipiis coloniisque, usque in urbem ductum erat funus triumpho simillimum. 2. Non licuerat matri, ultima filii oscula gratumque extremi sermonem oris haurire. Longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi totiens illum amitteret, irritata, ut primum tamen intulit tumulo, simul et illum et dolorem suum posuit: nec plus doluit quam aut honestum erat Caesari, aut aequum matri. Non desiit itaque Drusi sui celebrare nomen,

Pro republica. Albinovanus ad Liviam ed. Pisaur. Tom. IV. pag. 13 *a.*

Iste meus periit, periit arma inter et enses
Et dux pro patria.
Consul et ignoti victor Germanicus orbis
(Qui fuit heu mortis publica causa) legor.

Extremi sermonem oris. Extremum tali sensu apposite usurpavit. Propert. Lib. I. Carm. XIX, vs. 2.

Nec moror extremo debita fata rogo.

Lib. I. Carm. XVII, vs. 23.

Ille meum extremo clamasset pulvere nomen.

Nec plus doluit ... matri. Hanc lectionem ex quibusdam MSS. dedit Lipsius, rejecta altera quae in ceteris invenitur: *nec plus doluit quam aut honestum erat, aut Caesare, aut aequo majus.* In vulgata quam Lipsius probavit, et post eum Ruhk, offendit illud *aequum matri.* Quum enim ad Helv. XVI, § 1. Seneca: *immoderatum paene in lacrimas jus mulieribus concessum esse* doceat, non video cur hoc jus non Liviae, ut *matri*, concessum fuisset. Ex lectione a Lipsio rejecta et supra allata locus sic corrigatur: *nec plus doluit quam aut honestum*

ubique illum sibi privatim publiceque repraesentare, et libentissime de illo loqui, de illo audire: quum memoriam alterius nemo posset retinere ac frequentare, quin illam tristem sibi redderet. 3. Elige itaque, utrum exemplum putas probabilius. Si illud prius sequi vis, eximis te numero vivorum: aversaberis et alienos liberos et tuos ipsumque, desiderans; triste matribus omen occurres: voluptates honestas, permissas, tanquam parum decoras fortunae tuae reiicies, invisam habebis lucem, et aetati tuae, quod non praecipitet te quamprimum, et finiat, infestissima eris: quod turpissimum alienissimumque est animo tuo, in meliorem noto partem, ostendes te vivere nolle, mori non posse. 4. Si ad hoc maximae feminae te exemplum applicueris, moderatius ac mitius eris in aerumnis, nec te tormentis macerabis. Quae

erat uxori Caesaris, aut Drusi matri. Vocabulum *uxori* reponi posse videtur ex sequentis vocabuli *Caesare* literis *aesare.* Haec porro lectio si recipiatur, sublata erit difficultas in verbis *aequum matri;* nam quod ceteris matribus concessum erat, nondum Drusi matrem decebat. Commendatur denique Senecae consuetudine acute dicta captantis.

Eximis conjicio *eximes.* Sic § 4 *moderatius ac mitius eris.*

Permissas. Quid hoc verbum? Aliquidne igitur nobili matronae permissum quod non honestum? delendum puto: alibi saltem alterum tantum usurpat Seneca: de Ira III. Cap. 42, § 2. *Quid juvat, dies quos in voluptatem honestam impendere licet, in dolorem alicujus tormentumque transferre?*

enim, malum, amentia est, poenas a se infelicitatis exigere, et mala sua augere? Quam in omni vita servasti morum probitatem et verecundiam, in hac quoque re praestabis: est enim quaedam et dolendi modestia. Illum ipsum iuvenem dignissime quietum,

Quae enim, malum, amentia. Indignantium dictio ut recte monuit Ruhkopfius. Sic Cic. Philip. I. § 15. *Quaenam, malum, est ista voluntaria servitus?* In Verr. Act. II. Lib. II. § 43. *Quae, malum, ista fuit amentia?* Inprimis comicorum est.

Dignissime quietum cet. Est Gronovii haec emendatio; qui Lipsiani codicis lectionem admisit totam, nisi quod *facies* pro *faciet* reposuit. Aliam vero, quam quae in editione stereotypa occurrit, dedit interpunctionem: *Illum ipsum juvenem dignissime quietum semper nominans cogitansque facies*, omisso commate inter *cogitansque* et *facies*. Locum autem sic explicat: *quies* et *pax* proprie feliciter aut certe vita egregie acta mortuorum: de qno ad secundum Silvarum Statii. Ergo *dignissime quietum* est cujus merentur manes, ne inquietentur. *Tò quietum* accipiendum, quasi bis positum esset, hoc sensu: illum qui merito *quietus*, ac minime infestandus est, semper *talem* (amoto insano, querulo atque inquietante luctu) appellando vel commemorando ac menti repraesentando, *quietum* facies: sic demum vere illi placidam pacem, quam mortuis nostris optamus, dabis. Ita Ep. 8. *Fidelem si putaveris, facies.* Ep. 78. *levem illum, dum putas, facies.* Frequens hoc antiquis, ut idem vocabulum semel expressum, quasi iterum expressum esset, intellectum velint." Hactenus Gronovius. Sed duo occurrunt mihi impedimenta quominus locum sic interpunctum recipiam. Prius: quod vocabulum *quietum* sic semel expressum, non quasi *iterum* (ut ait), sed quasi *ter* expressum

semper nominans cogitansque, facies, et meliore pones loco, si matri suae, qualis vivus solebat, hilaris et cum gaudio occurrat.

esset, intellectum velit Gronovius. Juvenem dignissime *quietum*, semper (*quietum*) nominans cogitansque, (*quietum*) facies. Hoc latinitas non pati mihi videtur. Alterum: quod Seneca non a matre exigit ut filium sibi repraesentet talem, qualis in morte esset, quietum scil., *sed qualis vivus* soleret, (ut ipsius verbis utar) *hilarem et gaudentem*. His vero dubiis facile satisfactum credo, si in loco, ceteroquin egregie a magno Gronovio emendato, interpunctionem mutes, et pro *dignissime quietum semper nominans cogitansque facies*, comma ponas inter *cogitansque* et *facies*, ut et in editione stereotypa factum vidi. Explicationi haec addo: omnes, qui suorum aliquem morte amittunt, hoc solent optare, ut is qui obiit in morte quietus sit. Hujusmodi quietem Marcia quoque filio optabat, quantumque in se erat, ei parare conabatur. Ideo de eo tacebat, neque de eo fere cogitabat, nolebat enim ejus quietem turbare. Sed quum nihilominus animus maternus filium desideraret, ejus mortem in memoriam revocabat, et tristis illa mortis cogitatio efficiebat ut semper doleret. Marciam vero ne sic quidem filium quietum facere docet Seneca. Nam filius, si ea quae in terris fiebant animadverteret, anxius potius et turbatus, quam securus et quietus redderetur hoc matris dolore. Quod diserte declarat noster ad Polyb. XXIII. § 4. *Illud quoque te non minimum, adjuverit, si cogitaveris, nulli minus gratum esse dolorem tuum, quam ei cui praestari videtur. Torqueri ille te aut non vult, aut non intelligit. Nulla itaque ejus officii ratio est, quod ei cui praestatur, si nihil sentit, supervacuum est, si sentit, ingratum.* Ideo, ait Seneca, debes Marcia! cogitare et nominare filium: talem, qualis vivus erat, tibi repraesentare. *Converte te* (ut

IV. Nec te ad fortiora ducam praecepta, ut inhumano ferre humana iubeam modo, ut ipso funebri die oculos matris exsiccem: ad arbitrum tecum veniam: hoc inter nos quaeretur, »utrum magnus esse »debeat, an perpetuus dolor." Non dubito, quin Liviae Augustae, quam familiariter coluisti, magis tibi placeat exemplum. 2. Illa te ad suum consilium vocat: illa in primo fervore, quum maxime impatientes ferocesque sunt miseriae, se consolandam Areo philosopho viri sui praebuit, et multum eam rem profuisse sibi confessa est: plus quam populum Romanum, quem nolebat tristem tristitiâ suâ facere: plus quam Augustum, qui subducto altero adminiculo titubabat, nec luctu suorum inclinandus erat: plus quam Tiberium filium, cuius pietas efficiebat, ut in illo acerbo et defleto gentibus funere, nihil sibi nisi numerum deesse sentiret. Hic, ut opinor, aditus illi fuit, hoc principium apud feminam opinionis suae custodem di-

Areum postea Liviam adhortantem videmus Cap. V. § 3) *ad convictus filii tui, ad pueriles blanditias*, hoc si filius animadvertat, eum gaudio perfundes et quiete fovebis: sic eum *meliore pones loco;* nam ut antea in lugubri eum statu versari, quo mortem obiisset, putabas, sic tunc perspicies juvenem tam probum in hac vita, in morte non quietum esse non posse.

Inclinandus. Similiter Ep. XCI. § 3. *Haec omnia Liberalis nostri affectum inclinant, adversus sua firmum et erectum.*

Opinionis suae. Recte Lipsius: »pro existimatione alie»na." Ad Polyb. XXI. § 5. *Eriperes illi bonam opinionem.*

ligentissimam: 3. »Usque in hunc diem, Livia, (quan»tum quidem ego sciam, assiduus viri tui comes, cui »non tantum quae in publicum emittuntur, nota »sunt, sed omnes quoque secretiores animorum ve»strorum motus) dedisti operam, ne quid esset, quod »in te quisquam reprehenderet. Nec id in maioribus »modo observasti, sed in minimis, ne quid faceres, »cui famam, liberrimam principum iudicem, velles »ignoscere. Nec quidquam pulchrius existimo in fa»stigio collocatis, quam multarum rerum veniam da»re, nullius petere. Servandus itaque tibi in hac re »tuus mos est, ne quid committas, quod minus ali»terve factum velis."

V. »Deinde oro atque obsecro, ne te difficilem »amicis et intractabilem praestes. Non est enim quod »ignores, omnes hos nescire quemadmodum se ge-

De Ira Lib. III, XVII, § 4. *factusque poena sua monstrum, misericordiam quoque amiserat.* Sic et Graeci. Soph. Elect. v. 343 sq.

Απαντα γάρ σοι τἀμὰ νουθετήματα
(dicta quibus me commones)
Κείνης διδακτά.

Fastigio. Explicat hoc verbum Pitiscus ad Curtium Lib. III. XII, 25. »Est." inquit, »proprie frontispicii superior »altitudo, in acumen trigo»num surgens, novissime ap»poni solita. Inde culmen »est dignitatis, et potentiae, »et ipsum regnum."

Addi potest: hanc *fastigii* significationem ultimam non tam directe nisi apud seriores demum auctores occurrere. Conf. Tacit. Ann. III, 73. VI, 32. Vell. Patercul. II, 131. Plin. Sec. Lib. II. Ep. I.

»rant: loquantur aliquid coram te de Druso, an ni-»hil: ne aut oblivio clarissimi iuvenis illi faciat iniu-»riam, aut mentio tibi. Quum secessimus, et in »unum convenimus, facta eius dictaque, quanto me-»ruit suspectu, celebramus: coram te altum nobis de »illo silentium est. 2. Cares itaque maxima voluptate, »filii tui laudibus, quas non dubito quin vel impen-»dio vitae, si potestas detur, in aevum omne sis »prorogatura. Quare patere, immo arcesse sermones, »quibus ille narretur, et apertas aures praebe ad no-»men memoriamque filii tui: nec hoc grave duxeris, »ceterorum more, qui in eiusmodi casibus partem »mali putant, audire solatia. Nunc incubuisti tota in »alteram partem, et oblita meliorum, fortunam tuam, »quâ deterior est, aspicis. 3. Non convertis te ad »convictus filii tui, occursusque iucundos, non ad »pueriles dulcesque blanditias, non ad incrementa »studiorum: ultimam illam faciem rerum premis. Illi,

Vel impendio vitae. Non vitam solum, sed ipsum se homo impendere dicitur apud nostrum. De Ira Lib. I, V. 2. *hic aliorum commodis vel impendere se paratus est.* De Provid. V, 3. *Boni viri ... impendunt, impenduntur.*

Narretur i. e. praedicetur. Ovid. Met. IV, 417 sq.

Magnasque matertera vires
Narrat ubique Dei.

Conf. ejusdem Trist. III, El. XII, v. 45 sq. Noster de Clem. Lib. II, Cap. I, § 1. *ut de clementia scriberem, Nero Caesar, una me vox tua maxime compulit: quam ego non sine admiratione, et quum diceretur, audisse memini, et deinde aliis narrasse.*

»tanquam parum ipsa per se horrida sit, quidquid »potes congeris. Ne, obsecro te, concupieris, per»versissimam gloriam infelicissimam videri. 4. Simul »cogita, non esse magnum, se rebus prosperis fortem »gerere, ubi secundo cursu vita procedit: nec guber»natoris quidem artem tranquillum mare et obsequens »ventus ostendit: adversi aliquid incurrat oportet, »quod animum probet. Proinde ne submiseris te, »immo contra fige stabilem gradum: et quidquid »onerum supra cecidit, sustine, primo duntaxat stre»pitu conterrita. Nulla re maior invidia fortunae fit, »quam aequo animo." Post hoc ostendit illi filium incolumem, ostendit ex amisso nepotes.

VI. Tuum illic, Marcia, negotium actum, tibi Areus assedit: te mutatâ personâ consolatus est. Sed puta, Marcia, ereptum tibi amplius, quam ulla unquam mater amiserit: (non permulceo te, nec extenuo calamitatem tuam:) si fletibus fata vincuntur,

Illi ... congeris. Sic e codicibus restituit Gronovius pro *in illam ... congeris.* Exemplis ab eo allatis addi possunt Horatii verba Lib. I. Car. II.
Jam satis terris nivis atque dirae
Grandinis misit pater.
Ibi conf. notam viri Cl. Peerlk. hunc quoque locum citantis.

Incurrat. Quantopere hoc verbo gavisus fuerit Seneca vid. apud Nautam Diss. parte 2. p. 23.

Submiseris. Annotat Lipsius: »A gladiatoribus, qui se victi et arma submittebant." Vere. Sic ad Polyb. XXV. § 2. *Omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere: utrumne statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris.*

conferamus: eat omnis inter luctus dies: noctem sine somno tristitia consumat: ingerantur lacerato pectori manus, et in ipsam faciem impetus fiat: atque omni se genere saevitiae profecturus moeror exerceat. 2. Sed si nullis planctibus defuncta revocantur, si sors immota, et in aeternum fixa, nullâ miseriâ mutatur, et mors tenet quidquid abstulit; desinat dolor, qui perit. Quare regamus: nec nos ista vis transversos auferat. Turpis est navigii rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deseruit, permisit tempestati ratem: at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem et obnixum.

VII. »At enim naturale desiderium suorum est.”

Defuncta pro *defunctos*. Sic Seneca et ceteri recentioris aevi scriptores Latini solent. Ep. XCIV. § 72. *Ostendat ex constitutione vulgi beatos ... longeque aliam de se opinionem habentes, quam ab aliis habetur. Nam quae aliis videntur excelsa, ipsis praerupta sunt.* De Benef. I. Cap. I. § 9. (Dei) *utuntur natura sua, et cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes juvant* (*cuncta* scil. pro *cunctos*). Conf. vir Cl. Peerlk. ad Horat. Lib. I. Ode XXXIV. *insignem attenuat Deus.* Similiter Graeci: Eurip. Supp. v. 577.

Ὅσοι γ' ὑβρισταί· χρηστὰ δ' οὐ κολάζομεν

Conf. ibid. v. 596 sqq.

Auferat. Hoc verbum praeclare explicatum videbis in nota Burmanni ad Ovid. Ep. XV, v. 140.

At ille vel. Annotat Casaubonus: »Eleganter illud Graecorum: *Ποσειδᾶν ὀρθὰν τὰν νᾶυν* expressit.”

Quis negat, quamdiu modicum est? nam ex discessu, non solum amissione carissimorum necessarius morsus est, et firmissimorum quoque animorum contractio. Sed plus est, quod opinio adiicit, quam quod natura imperavit. Adspice, mutorum animalium quam

Quis negat, quamdiu cet. Perperam, ut mihi videtur, interrogandi signum post *est* positum est. Scribendum puto: *Quis negat? quamdiu modicum est*, nam tria ultima imminutionem quamdam continent illius, quod verbis *quis negat?* concessum erat. Sic Cap. XVII. § 1. *Quis negat grave esse? sed humanum est.*

Morsus affectus dicitur a Seneca minor quam dolor. Hoc patet ex Ep. XCIX. § 13. *Non est dolor iste, sed morsus: tu illum dolorem facis.*

Adspice sqq. Hoc argumentum Senecae vitio vertitur (van Kampens Magaz. Tom. I. p. 2, pag. 189). »Quum (ut ibi contenditur) irritamentum »potius quam levamentum do»loris sit; neque ullus homo »in luctu ferendo par bestiis »esse velit; contra, si anima»lia tam cito luctum depo»nentia videat, justum ac de»bitum sibi potius putet diu»tius et constantius lugere »amissos." Sed neque Senecae unquam animus fuit homini persuadere ut brutas bestias imitaretur. Contraria diserte dicit de Ira Lib. II, XVI, § 2. *Animalia ... Errat, qui ea in exemplum hominis adducit, quibus pro ratione est impetus, homini pro impetu ratio est.* Hoc tantum probare studet, primum illum doloris incursum, qui tam naturalis est, ut et ferae, quae sola natura duce ferantur, eo vehementer afficiantur, brevem esse; quum et hae quae nullum contra hunc morsum munimentum, nisi naturae moderationem, habeant, brevissime tamen rabiem istam exstinguant.

Ex quibus sequitur, homo si diutius lugeat, si *luctibus frangatur*, hoc non naturae, sed pravo rationis

concitata sint desideria, et tamen quam brevia. Vaccarum uno die alterove mugitus auditur: nec diutius equarum vagus ille amensque discursus est. Ferae quum vestigia catulorum consectatae sunt, et silvas pervagatae, quum saepe ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus exstinguunt. 2. Aves cum stridore magno inanes nidos circumfremunt: intra momentum tamen quietae, volatus suos repetunt. Nec ulli animali longum fetus sui desiderium est, nisi

consilio esse tribuendum. Locus sic e Senecae mente explicatus pulcram nobilemque continet consolationem, quam Ep. XCIX § 21 et 22 sic expressam legimus: *Oblivisci quidem suorum, ac memoriam cum corporibus efferre, et effusissime flere, meminisse parcissime, inhumani animi est. Sic aves, sic ferae foetus suos diligunt: quarum concitatus est amor, et paene rabidus, sed cum amissis totus exstinguitur. Hoc prudentem virum non decet. Meminisse perseveret, lugere desinat.*

Discursus. Totus hic locus exquisito verborum delectu se commendat. *Discursus* de motu illo vesano et inquieto proprie dicitur. De Cl. I. Cap. III, § 5. *illius jussu jacemus, aut inquieti discurrimus.* De otio Sap. XXXII, 13. *Sed iidem nihilominus non segnem egere vitam: invenerunt quemadmodum plus quies illorum hominibus prodesset, quam aliorum discursus et sudor.* Conf. Ep. II. § 1. Ep. XIII. § 12. Ep. LXXVII. § 3. De Brevit. XIV. § 6.

Inanes nidos. Conf. pulcra comparatio Soph. Antig. v. 423 sqq., ubi similiter:

ὡς ὅταν κενῆς
Εὐνῆς νεοσσῶν ὀρφανὸν βλέψῃ
λέχος·

Quietae. Cum judicio. De Ira Lib. I. Cap. III. § 5. (De bestiis) *Et quum acerrime saevierunt, expaveruntque, pascuntur, et ex fremitu discursuque vesano statim quies soporque sequitur.*

homini, qui adest dolori suo, nec tantum quantum entit, sed quantum constituit, afficitur. Ut scias autem non esse hoc naturale, luctibus frangi, primum magis feminas quam viros, magis barbaros quam placidos eruditaeque gentis homines, magis indoctos quam doctos, eadem orbitas vulnerat. Atqui ea, quae a natura vim acceperunt, eandem in omnibus servant. 3. Apparet non esse naturale, quod varium est. Ignis omnes aetates, omnium urbium cives, tam viros quam feminas, uret: ferrum in omni corpore exhibebit secandi potentiam. Quare? quia vires illi a natura datae sunt, quae nihil in personam constituit. Paupertatem, luctum, ambitionem alius aliter sentit,

Adest dolori suo. Unice retinenda Ruhkopfii explicatio: »ei incubat: opinione plurimum adjiciente et augente." Ipse enim Seneca hoc verbum sic explicat: Cons. ad Helviam Cap. II. § 1. *adero prius illi* (*dolori*) *et quibus excitetur ingeram.*

Ambitionem. Hanc reposuit lectionem Gronovius ex Mss. quibusdam. In Pinciani libris scriptis legebatur *orbationem*, unde certatim Gruterus, Juretus, Lipsius, *abitionem.* »Quod probare non possum, ait Gronovius. »Si veteres di»xerunt *abitionem* pro morte, »quod multis persuasit Festus, »ut *abire* sane dixerunt pro »*mori*, tamen sic et tali loco »non dixerunt. Quidquid sit, »veterem lectionem *ambitio»nem* teneo." Ego contra alterum illud *abitionem* reponendum puto. Vocabulum *ambitionem* hanc difficultatem habere mihi videtur, quod aliquis non dici potest, ut de *paupertate* et *luctu*, ita de *ambitione* praesumturus terribilem esse opinionem. Vocabulum *abitionem* autem explicandum puto per exsilium. Philosophi

prout illum consuetudo infecit: et imbecillum impatientemque reddit praesumta opinio de non timendis terribilis.

VIII. Deinde quod naturale est, non decrescit morâ: dolorem dies consumit: licet contumacissimum, quotidie insurgentem, et contra remedia effervescentem; tamen illum, efficacissimum mitigandae ferociae

in hujusmodi malis semper *φυγὴν abitionem* exsilium ponebant. Cicero saepe in Tuscul., in Paradoxis, et Seneca.

Consuetudo infecit. Revera non sunt terribilia, sed opinione. Videmus alios ea timere, audimus, ipsi timere incipimus, assuescimus, ea consuetudo est.

Licet contumacissimum pro: *licet sit contumacissimus, quotidie insurgat* sqq. Haec brevior dicendi forma apud nonnullos recentioris aevi scriptores occurrit. Apulej. ed. J. Floridi in usum Delph. pag. 22, *evadere, et viam, licet trepido vestigio, capessere*, pag. 47 *nec mirum, licet modicum istum igniculum, et manibus humanis elaboratum ... divino praesagio et ipsum scire, et nobis enunciare.* Conf. pag. 126 et 142. Ausonius ed. in usum Delph. 340, 5. *esto operi Arcta, inamoena licet, nec congrua carminibus.* 361, 47. *sed bene quod, paucis licet interitura diebus*, conf. 391, 21. Sic *quamquam* omisso verbo jam apud Tacitum, Quinctilianum, alios occurrit. Tacit. Ann. XII. 20. *Claudius, quamquam nobilitatibus externis mitis, dubitavit tamen.* Quae constructio apud priores, Ciceronem saltem, nondum occurrit. Conf. Madvigius ad Cic. de Finib. pag. 738. *Licet*, ut jam monuit Vossius op. V. pag. 115, a, verbum, non conjunctio, est. Multo autem minus *licet* cum adjectivis et participiis tamquam adverbium explicari debuisset, ut in editione Ausonii in usum Delph. factum vidi, et in memorata Apuleji editione.

tempus enervat. Manet quidem tibi, Marcia, etiamnunc ingens tristitia, et iam videtur duxisse callum, non illa concitata, qualis initio fuit, sed pertinax et obstinata: tamen hanc quoque aetas tibi minutatim eximet. 2. Quoties aliud egeris, animus relaxabitur: nunc te ipsa custodis. Multum autem interest, utrum tibi permittas moerere, an imperes. Quanto magis hoc morum tuorum elegantiae convenit, finem luctus

Elegantiae. Ruhkopfius annotat »i. e. animi tui firmitati »et innocentiae." Haec duo quomodo ex verbo allato deducere possit non intelligo. Quidni sensu solito accipiatur? Est haec elegantia, qua Marcia *inter placidos eruditaeque gentis homines* (Cap. VII. § 2) erat numeranda, qui, ut in ceteris, ita dolendi moderatione excellunt.

Quanto magis ... potius facere, quam. Hae duae particulae *magis* et *potius* saepissime in eodem sensu occurrunt. Sic apud Ciceronem saepe *potius* cum verbo *malo* sive *magis volo*, et cum comparativis, qui, ut notum est, per *magis* resolvi possunt, invenitur. Conf. Clavis Ernest. Non vero acute ii disserere mihi videntur, qui sic *potius* abundare semper docent. *Potius* enim et *magis*, cum verbis saltem, non idem significant. *Potius* ad consilium sive mentem personae, quae agit, referri debet: *magis* autem vim actionis, quae verbo significatur, auget. Conf. Herzog. ad Caes. de Bell. Gall. IV. 2, et Wolfius in lect. ad Tusc. Disp. pag. 326. Sic Schellerus in loco e Livii praefatione: *cum bonis potius ominibus ... libentius inciperemus*, perperam statuisse mihi videtur *potius* ibi omitti potuisse (conf. lexicon in verbo). Nam quum sic resolvi possit: *magis liberet cum bonis potius ominibus incipere*, *magis* rursus ad verbum, *potius* ad animum scriptoris referri debere apertum est.

potius facere, quam exspectare: nec illum opperiri diem, quo te invita dolor desinat? Ipsa illi renuntia.

IX. »Unde ergo tanta nobis pertinacia in deplora»tione nostri, si id non fit naturae iussu?" Quod nihil nobis mali, antequam eveniat, proponimus, sed, ut immunes ipsi et aliud pacatius ingressi iter, alienis non admonetur casibus, illos esse communes. Tot praeter domum nostram ducuntur exsequiae: de morte non cogitamus. Tot acerba funera: nos togam nostrorum infantium, nos militiam, et paternae hereditatis successionem animo agitamus. Tot divitum subita paupertas in oculos incidit: et nobis nunquam in mentem venit, nostras quoque opes aeque in lubrico positas. 2. Necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur. Quae multo ante praevisa sunt, languidius incurrunt. Vis tu scire te ad omnes expositam ictus stare, et illa quae alios tela fixerunt, circa te vibrasse? velut murum aliquem, aut obsessum multo hoste locum, et arduum

Acerba funera. De iis qui prima aetate moriuntur. *Acerbus* ea in re proprium est. Hujus cons. cap. XVII. § 6. *Quoniam nullum non acerbum funus est, quod parens sequitur.* Huic explicationi favet Lipsii nota: »*acerbus* a fructi»bus qui immaturi cadunt." Neque sic noster bis eadem dixisse existimandus est, quum antea jam dixerit: *Tot praeter domum nostram ducuntur exsequiae.*

In lubrico positas. Explicatur haec dictio Ep. CXVI. § 6. *Quantum possumus nos, a lubrico recedamus: in sicco quoque parum fortitur stamus.*

adscensu, inermis adeas, exspecta vulnus, et illa superne volantia cum sagittis pilisque saxa puta in tuum librata corpus. Quoties aut ad latus, aut pone tergum ceciderint, exclama: Non decipies me, fortuna, nec securam aut negligentem opprimes: scio quid pares: alium percussisti, me petisti. 3. Quis unquam res suas, quasi periturus, adspexit? quis unquam nostrûm de exsilio, de egestate, de luctu cogitare ausus est? Quis non, si admoneatur ut cogitet, tanquam dirum omen respuat, et in capita inimicorum aut ipsius intempestivi monitoris abire illa iubeat? Non putavi futurum! Quidquam tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri, quod multis vides evenisse? 4. Egregium versum et dignum audi, qui non e Publio exiret:

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Egregium versum ... exiret. Scripti variant alii dant: *dignum audivi, audi, qui non e populo heri et*: alii, *dignum, qui non e populo erit, s. eritet.* Inter plurimas huius loci propositas emendationes, Gronovii, *Egregium versum et dignum, qui non e Publio exiret,* unice excipiendam duco. *Audi* quod sensu frigidissimum judicat, in Jureti, et quatuor Gruteri Mss. deest. Locum autem sic Gronovius explicat. »Hoc est, quem illi potius »quam alii excidisse doleo, »dignum ut ex alia officina »prodiret." Ab hujus viri judicio discedit Ruhkopfius. »Ac *primum* putat: *τὸ audi* »esse nexus causa admittendum, quippe a pluribus »Codd. oblatum: deinde veretur, ut recte judicet Gro»novius, quod omnino Pu»blium malum auctorem no»stro visum esse autumet" Itaque secutus nexum litera-

Ille amisit liberos: et tu amittere potes. Ille damnatus est: et tua innocentia sub ictu est. Hic nos error decipit, hic effeminat, dum patimur, quae nunquam pati nos posse praevidimus. Aufert vim praesentibus malis, qui futura prospexit.

X. Quidquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex adventitio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria, et exclusorum clientium turbâ referta vestibula, cla-

rumque ductum recipit: *periret* et scribendum conjicit: *Egregium versum et dignum audi, qui non e Publio periret:* Sed Ruhkopfii rationes et Gronovii ad hunc locum nota statim refelluntur, et fortasse hoc quoque loco e Nat. Quaest. Lib. VII. Cap. XXXII. *Nondum tota se nequitia protulit. Adhuc nascitur, et huic omnes operam damus... Ad sapientiam quis accedit? At quanta cura laboratur, ne cujuslibet pantomimorum intercidat (secta)? stat per successores Pyladis et Bathylli domus: harum artium multi discipuli sunt, multique doctores. Privatim urbe tota sonat pulpitum. In hoc viri, in hoc feminae tripudiant. Philosophiae nulla cura est.*

Pati non posse dupliciter accipi potest *posse.* Ut aut sensus sit: *quae numquam praevidimus nos posse pati:* i. e. viribus nostris non majora esse, aut: *quae nos pati numquam posse praevidimus* i. e. quae fieri posse ut nos pateremur numquam praevidimus. Posterior explicatio huc tantum admitti potest.

Ex adventitio. »Epicteti τὰ οὐκ ἐφ᾽ ἡμῖν," ut monet Ruhkopfius. Haec omnia noster breviter appellat: *fortunae mendacia* Ep. LXXVI. § 25. Plutarchus: τὰ ἐκτὸς de audiend. poet. pag. 23 F.

Exclusorum clientium. De salutandi amentia et repulsa, quam saepe patiebantur clientes, multis locis apud Senecam sermo est. De Benef. Lib. VI, XXXIII, 3. *Est pro-*

ra, nobilis, aut formosa coniux, ceteraque ex incerta et mobili sorte pendentia: alieni commodatique apparatus sunt. Nihil horum dono datur: collatitiis et ad dominos redituris instrumentis scena adornatur. 2. Alia ex his primo die, alia secundo referentur: pauca usque ad finem perseverabunt. Ita non est quod nos suspiciamus, tanquam inter nostra positi:

prium superbiae; magna aestimare introitum ac tactum sui liminis, et pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quae receptos quoque excludunt. De Tranq. XII. § 3. (de homine otioso); *nihilque habentem in quo laboret, lux orta expellit: et quum multorum frustra liminibus nomenclatores persalutavit; a multis exclusus, neminem ex omnibus difficilius domi, quam se, convenit.* Conf. Ep. LXXXIV. § 12. Ad Polyb. XXIII. § 2. Venustissime Lucianus de sene Polycrate, Simulo cuidam apud inferos auream suam formositatem (divitias scil.) praedicante, cujus gratia clientes eum, ut amator amicam, coluerant:

'Ατὰρ, ὦ Σιμυλε, οὐκ ὀλίγα τῶν ἐραστῶν ἀπολέλαυκα, μονονουχὶ προσκυνούμενος ὑπ' αὐτῶν, καὶ ἐθρυπτόμην δὲ πολλάκις, καὶ ἀπέκλειον αὐτῶν τινας ἐνίοτε· οἱ δὲ, ἠμιλλῶντο, καὶ ἀλλήλους ὑπερεβάλλοντο ἐν τῇ περὶ ἐμὲ φιλοτιμίᾳ.

Lucian. dial. ε Ed. min. Hemst. v. 405—46.

Conjux. Hor. Ode XIV. Lib. II. *Linquenda tellus et domus et placens Uxor.* Conf. pulcra loca, apud Soph. Oedip. Reg. v. 1186 sqq. et apud Eurip. Phoen. 562 sqq. Vid. quoque Gatak. ad Anton. pag. 420.

Suspiciamus. Verbum tali sensu apud Senecam frequens. De Ira Lib. II, XXVII. § 3. *Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur.* De Tranq. XIV. 2. (animus) *sibi confidat, se gaudeat, sua suspiciat.*

mutuo accepimus. Ususfructus noster est, cuius tempus ille arbiter muneris sui temperat: nos oportet in promtu habere, quae in incertum diem data sunt, et appellatos sine querela reddere. Pessimi est debitoris, creditori facere convicium. Omnes ergo nostros, et quos superstites lege nascendi optamus, et quos praecedere iustissimum ipsorum votum est, sic amare debemus, tamquam nihil nobis de perpetuitate, immo nihil de diuturnitate eorum promissum sit. 3. Saepe admonendus est animus, amet ut recessura, immo tanquam recedentia. Quidquid a fortuna datum est, tanquam extemplo abiturum possideat.

Debitoris. Haec comparatio et alibi occurrit. Ad Polyb. XXIX. 4. *Rerum natura illum tibi, sicut ceteris fratribus non mancipio dedit, sed commodavit: quum visum est deinde, repetiit, nec tuam in eo satietatem secuta est, sed suam legem. Si quis pecuniam creditam solvisse se moleste ferat, eam praesertim cujus usum gratuitum acceperit, nonne injustus habebitur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit et tibi: quae suo jure usa, a quo voluit debitum suum citius exegit.* Conf. Cic. Tusc. I. § 93. Plut. ad Apoll. p.116 B. Hor. Ode XXIV. Lib. I.

Tu frustra pius, heu, non ita creditum
Poscis Quinctilium deos.

Ibique nota Cl. Peerlk.

Amet ut recessura. Commemorandum Pinciani acumen, qui sic egregie restituit, literis aliter junctis, corruptam lectionem:

a metu ire cessura
amet ut recessura.

Et habet hoc aliquam convenientiam cum illo apud Ciceronem de Amicitia XVI: *ita amare oportere, ut, si aliquando esset osurus.*

Tamquam extemplo abiturum. In Mss. est *tamquam exemplum auctore possideas.*

Rapite ex liberis voluptates, fruendos vos invicem liberis date, et sine dilatione omne gaudium haurite. Nihil de hodierna die promittitur. Nimis magnam advocationem dedi: nihil de hac hora. Festinandum est: instat a tergo mors: iam disiicietur iste comita-

Col. exemptum. Gronovius inde emendat: *tamquam exceptum auctori possideas.* Quam lectionem, quum et ad codicum scripturam vulgata propius accedat, locique explicationem cum *creditoris* illa comparatione optime congruentem praebeat, recipiendam duco. Explicat sic: »Intelligimus *auctorem* illum, a quo »auctoritatem et jus nostrae »possessionis deducimus, qui »nobis auctoritatem et evictio»nem praestat. Qui alienabant »aliquid, solebant interdum »*excipere* manus injectionem: »hoc est reservabant sibi jus »rei alienatae, quasi ab em»ptore fiduciario, commodo »suo revocandae et repeten»dae. Itaque apparet, quam »eleganter Seneca jubeat nos »putare, quod a fortuna da»tum est, *tamquam auctori* »*exceptum possideri:* hoc est, »ita teneri, ut sciamus aucto»rem Fortunam repetendi ejus »vindicandique semper libe»rum jus servasse" Conf. ejus nota egregia. Ruhkopfius tuetur: *tamquam exemptum auctore possideat.* Ejus vero rationes quibus Gronovii emendationem refellere, suam stabilire conatur, non admittendae mihi visae sunt. Idcirco scribendum puto cum Gronovio: *tamquam exceptum auctori possideas.*

Haurite. Ludit noster hoc verbo Ep. XCIX. § 6. *Acquiescamus his quae jam hausimus: si modo non perforato animo hauriebamus, et transmittente quidquid acceperat.* Metaphora a poculis. Virgilius Aen. I. 738.

Ille inpiger hausit
Spumantem pateram.

Instat a tergo mors tamquam hostis. Ep. XLIX. § 7. *Securi est, et ex commodo migrantis, minuta conquirere. Quum*

tus: iam contubernia ista sublato clamore solventur. 4. Rapina rerum omnium est, (miseri, nescitis?) et fuga, vivere. — Si mortuum tibi filium doles, eius temporis, quo natus est, crimen est: mors enim illi nascenti denuntiata est. In hanc legem datus; hoc

hostis instat a tergo, et movere jussus est miles, excutit necessitas quidquid pax otiosa collegerat.

Rapina ... vivere. In Mss. legitur: *Rapina rerum omnium est. Miseri nescitis fuga vivere.* Copula *et* post *nescitis* invenitur in Lipsii et quibusdam libris scriptis. Qui locum sic corrigit ut in contextu legitur. Non causa erat cur Ruhkopfius, hac Lipsii lectione rejecta, Erasmianam sequeretur: *Rapina rerum omnium est. Miseri, nescitis in fugam vivere!*

Nam plus a codicibus recedit haec lectio, et alibi quoque noster *fugam* pro *ipsa vita* usurpat. Nat. Quaest. Lib. III. praef. § 1 et § 2. *Premit a tergo senectus, et objicit annos inter vana studia consumtos. Tanto magis urgeamus, et damna aetatis male exemtae labor sarciat. Nox ad diem accedat: occupationes recidantur: patrimonii longe a domino jacentis cura solvatur: sibi totus animus vacet, et ad contemplationem sui saltem in ipso fugae impetu respiciat.* Ep. XLIX. § 9. *Quid agam? mors me sequitur, fugit vita.*

Denuntiata. Sic e duobus codicibus reposuit Gronovius pro *determinata;* additque: »fortasse melius." At loca sequentia stabiliunt egregii viri opinionem. De Ira Lib. IV. XXVII. § 3. *Sin semper haec cogitatio durabit, vides quam impacatam tibi denunties vitam.* Ad Polyb. XXIX. § 6. *Quotidie praeter oculos nostros transeunt notorum ignotorumque funera: nos tamen aliud agimus, et subitum id putamus esse, quod nobis tota vita denuntiatur futurum.* De verbo *denuntio* minandi saepe significationem habente vid. inprimis Brouckh. ad Tibullum Lib. III. El. V. vers. 5.

fatum ab utero statim prosequebatur. In regnum fortunae, et quidem durum atque invictum pervenimus, illius arbitrio digna atque indigna passuri. Corporibus nostris impotenter, contumeliose, crudeliter abutetur: alios ignibus peruret, vel in poenam admotis, vel in remedium: alios vinciet: id nunc hosti licebit, nunc civi: alios per incerta nudos maria iactabit, et luctatos cum fluctibus, ne in arenam quidem aut litus explodet, sed in alicuius ventrem immensae belluae decondet: alios morborum variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortemque medios detinebit. 5. Ut varia et libidinosa, mancipiorumque suorum negligens domina, et poenis et muneribus errabit. Quid opus est partes deflere? tota vita flebilis est. Urgebunt nova incommoda, priusquam veteribus satisfeceris. Moderandum est itaque,

In hanc legem datus sqq., brevius de Tranq. I. § 9: *morti natus es.*

Ut varia et libidinosa ... errabit. De Benef. Lib. I. XIV. § 2. *Nemo haec ita interpretetur, tamquam reducam liberalitatem, et fraenis arctioribus reprimam. Illa vero, in quantum libet, exeat: sed eat, non erret.* E quibus *errare* hoc sensu satis explicari videtur.

Similiter Menander de fortuna vers. 41 in Lucian. ed. min Hemst. pag. 167

Ὡς ποικίλον πρᾶγμ' ἐστὶ καὶ πλάνον τύχη.

Eurip. Heracl. 612 sq.

παρὰ δ' ἄλλον γἄλλα μοῖρα διώκει.

Moderandum est itaque ... dispensandum. In Codd. melioribus: *Moderandum est itaque nobis maxime quae immoderate fertis, et in multos dolores humani pectoris dispensanda.* Unde confecit Lipsius

vobis maxime, quae immoderate fertis: et in metus, et in dolores humanum pectus dispensandum.

XI. Quae demum ista tuae publicaeque conditionis oblivio est? Mortalis nata es, mortales peperisti: putre ipsa fluidumque corpus, et causis morbisque repetita, sperasti tam imbecilla materia solida et aeterna gestasse? Decessit filius tuus, id est, decucurrit ad hunc finem, ad quem, quae feliciora partu tuo

lectionem: *Moderandum est itaque vobis maxime quae immoderate fertis; et in multos dolores humana pectora dispensanda.*

Sed morantur me verba *vobis maxime quae.* Vocabulum *quae* aut ad *vobis* pertinet, ut de mulieribus tantum sermo sit, quod mihi quidem absurdum videtur: aut ad *fertis*, ut construendum sit: *moderandum est quae fertis;* quod explicandum esset: *moderandum quod attinet ad ea quae fertis:* fere ut Graeci. Eurip. Or. 759 οἰστέον τάδε. Phoen. 724 ἐξοιστέον γ' ἄρ' ὅπλα. Conf. Math. Gramm. § 447. Etsi locus sic aliquatenus explicari possit, ambiguitas tamen in vocabulis *vobis quae* manet. Pincianum quoque haec morata videtur difficultas, quum pro *maxime, quae* corrigat: *animus ad haec maxime, quae.* Haec vero conjectura nimium a codd. recedit. In Lipsii lectione corrigo, pro *vobis*, *in iis* ut locus sic constituatur *Moderandum est itaque in iis maxime, quae immoderate fertis: et in multos dolores humana pectora dispensanda.* Huic emendationi favet locus ad Polyb. XXIII. § 3. *Ideoque moderate id fieri debet a nobis, quod saepe faciendum, est: et respicientes, quantum a tergo rerum tristium immineat, si non finire lacrimas, at certe reservare debemus.*

Quae feliciora pro: *quos feliciores* conf. nota ad Cap. VI. § 2 *defuncta.*

putas, properant. Huc omnis ista quae in foro litigat, in theatris desidet, in templis precatur turba, dispari gradu vadit. Et quae veneraris, et quae despicis, unus exaequabit cinis. 2. Hoc iubet illa Pythicis oraculis adscripta vox: Nosce te. Quid est homo? quodlibet quassum vas, et quodlibet fragile: iactatu, non tempestate magna, ut dissiperis, est

In foro. De foro lectu dignissimus locus de Ira Lib. II. Cap. VII. § 3 et 4. *Deficiet, si toties a se iram, quoties causa poscet, exegerit. Haec tot millia ad forum prima luce properantia, quam turpes lites quanto turpiores advocatos consciscunt? Alius judicia patris accusat, quae mereri satis fuit: alius cum matre consistit: alius delator venit ejus criminis, cujus manifestior reus est. Et judex damnaturus quae fecit, eligitur: et corona pro mala causa, bona patroni voce corrupta. Quid singula persequor? Quum videris forum multitudine refertum, et Septa concursu omnis frequentiae plena, et illum Circum, in quo maximam sui partem populus ostendit: hoc scito: istic tantumdem esse vitiorum, quantum hominum. Inter istos quos togatos vides, nulla pax est: alter in alterius exitium levi compendio ducitur.*

Quodlibet quassum vas. Explicatur loco Cic. Tusc. I. XXII. *Nam corpus quidem, quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum.* De ipso animo noster sic quoque: de Brevit. Vitae Cap. X. § 5. *Per quassos foratosque animos transmittitur.*

Jactatu. Lipsius explicat »A navigantibus, et ad navem »quassam rimosamque respi»cit, quae sola jactatione ve»hementiore solvatur," sed potius de ipso vase fictili in aqua natante acciperem, quod non, ut navis, tempestate, sed levissima illisione frangitur. Explicationi inservit Aviani Fab. XI.

Olla aerea et lutea.

opus. Ubicunque arietaveris, solveris. Quid est homo? imbecillum corpus, et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienae opis indigens, ad omnem fortunae contumeliam proiectum: quum bene lacertos exercuit, cuiuslibet ferae pabulum, cuiuslibet victima, ex infirmis fluidisque contextum, et lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, aestus, laboris impatiens: ipso rursus situ et otio iterum in tabem, ali-

Arripiens geminas ripis cedentibus ollas,
Insanis pariter flumen agebat aquis.
Sed diversa duas ars et natura creavit:
Aere prior fusa est, altera ficta luto:
Dispar erat fragili et solidae concordia motus,
Incertumque vagus amnis habebat iter.
Ne tamen allisam confringeret aerea testam,
Jurabat, solitam longius ire viam.
Illa timens, ne quid levibus graviora nocerent,
Et quia nulla brevi est cum meliore fides,
Quamvis securam verbis me feceris, inquit,
Non timor ex animo discutiendus erit.
Nam me sive tibi, seu te mihi conferat unda,
Semper ego ambobus subdita sola malis.
Pauperior caveat sese sociare potenti,
Namque fides illi cum parili melior.

Arietaveris. De hoc verbo conf. Nauta de Provid. Cap. I. »Est tamen illud Senecae frequens hoc sensu offendendi, impingendi. Significatio ab arietibus ducta videtur, qui cornibus obversis se invicem petunt.

Imbecillum. Homerus jam dixit, cujus, ut et Aristotelis locum affert Lipsius. Sed praeclare hac de re egit Casaubonus ad Persium pag. 124 et 125. His addi potest Sen. Ep. LVIII. § 21. *De homine dixi, fluida materia et caduca, et omnibus obnoxia causis.*

menta metuens sua, quorum modo inopiâ, modo copiâ rumpitur: anxiae sollicitaeque tutelae, precarii spiritus, et male haerentis, quem pavor repentinus adiectusve ex improviso sonus auribus gravis excutit: soli semper sibi nutrimentum vitiosum et inutile. 3. Miramur in hoc mortem unius, quâ singulis opus est? Numquid enim ut concidat, res magni molimenti est? Odor ille saporque, et lassitudo, et vigilia, et humor, et cibus, et sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. Quocumque se movet, infirmitatis suae statim conscium, non omne coelum ferens, aquarum novitatibus, flatuque non familiaris aurae, et tenuissimis causis atque offensionibus morbidum, putre, causarium, fletu vitam auspicatum: quum interim quantos tumultus hoc tam contemtum animal movet? in quantas cogitationes oblitum con-

Modo inopiâ.... rumpitur. Credo ut tellus, quae, aqua deficiente, rimas agit.

Soli semper sibi. Locus difficilis. Sic explico: Saepe accidit ut homo *cujuslibet ferae pabulum fiat* (ut ait noster). Iis ergo nutrimentium est utile. Se contra vivendo semper depascit; vivendo semper moritur; *sic soli sibi semper est nutrimentum vitiosum et inutile.* Non cum Ruhk.: »de luxu, quo homines corspus perdant," accipio. Non enim omnes luxuriae dediti esse possunt; multo minus omnes semper luxuriantur: haec autem sententia, ut de omnibus dicta, in omnes conveniat necesse est. Lipsii ad hunc locum verba huic explicationi favent: »Nam »aliae animantes et nos, et »inter se alunt. An hoc »vult, hominem a se depasci »paullatim, et ad mortem »ire?"

ditionis suae venit? Immortalia, aeterna volutat animo, et in nepotes pronepotesque disponit: quum interim longa conantem eum mors opprimit: et hoc quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum.

XII. Dolor tuus, o Marcia, si modo illi ulla ratio est, utrum sua spectat incommoda, an eius qui decessit? Utrumne amisso filio movet, quod nullas ex illo voluptates cepisti: an quod maiores, si diutius vixisset, percipere potuisti? Si nullas te percepisse dixeris, tolerabilius efficies detrimentum tuum: minus enim homines desiderant ea, ex quibus nihil gaudii laetitiaeque perceperunt. Si confessa fueris percepisse magnas voluptates: oportet te non de eo quod detractum est queri, sed de eo gratias agere quod collegisti. 2. Provenerunt enim satis magni fructus laborum tuorum ex ipsa educatione, nisi forte hi, qui catulos avesque, et frivola animorum oblectamen-

Nisi forte hi, qui catulos avesque cet. Praeclara haec comparatio non adeo vulgaris est. Apud Ocellum Lucanum locum tamen inveni dignum qui cum nostro comparetur. In Opuscul. Mythol. ed. Gale pag. 536.

Μετὰ πάσης οὖν σπουδῆς καὶ προσοχῆς δεῖ καταβάλλεσθαι, ὅπως τὰ γεννώμενα (liberi scil.) *γενήται χαριέστατα, καί γεννώμενα, καλῶς ἀνατραφῇ. οὔτε (δὲ) γὰρ δίκαιον, τοὺς μὲν φιλίππους, καὶ φιλόρνιθας, καὶ φιλόκυνας, μετὰ πάσης ἐπιμελείας φροντίδα ποιεῖσθαι τῶν γινομένων, ὡς δεῖ, καὶ ἐξ ὧν δεῖ, καὶ ὅτε δεῖ, καὶ πῶς διακειμένων γίνεσθαι τὰς μίξεις καὶ τὰς κοινωνίας, τοῦ μὴ ὡς ἔτυχε γίνεσθαι τὰ γεννώμενα: τοὺς δὲ ἀνθρώπους μηδένα ποιεῖσθαι λόγον τῶν ἰδίων ἐγγόνων ἀλλὰ (καὶ) γεννᾶν ὡς ἔτυχε, καὶ γεννωμένων ὀλιγωρεῖν καὶ τῆς τροφῆς καὶ τῆς παιδείας.*

ta, summâ diligentiâ nutriunt, fruuntur aliqua voluptate ex visu tactuque et blanda adulatione mutorum; liberos nutrientibus, non fructus educationis ipsa educatio est. Licet itaque tibi nihil industria eius contulerit, nihil diligentia custodierit, nihil prudentia quaesierit: ipsum quod habuisti, quod amasti, fructus est. »At potuit longior esse, et maior." 3. Melius tamen tecum actum est, quam si omnino non contigisset, quoniam, si ponatur electio, utrum satius sit, non diu felicem esse, an nunquam, melius est, discessura nobis bona, quam nulla contingere. Utrumne malles degenerem aliquem, et numerum tantum nomenque filii expleturum habuisse, an tantae indolis, quantae tuus fuit? Iuvenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curiosus, cito sacerdos: omnia tam propera. 4. Nulli fere et magna bona, et diuturna contingunt: non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas. Filium tibi dii immortales non diu daturi, statim talem de-

Numerum tantum nomenque. Cum contemtione de Cl. I. Cap. V. § 6. *Deorum itaque sibi animum asserens Princeps, alios ex civibus suis, quia utiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat: quosdam esse gaudeat.*

Omnis officii curiosus. Vindicat hanc lectionem Gronovius contra Lipsium, cui non placuit *omne officium;* sed non locum ex ipso Seneca attulit Gronovius, quo satis suam stabiliret opinionem. Itaque affero ex Ep. XCIII. § 3. *At ille obiit viridis: sed officia boni civis, boni amici, boni filii exsecutus est.*

derunt, qualis diu effici potest. Ne illud quidem dicere potes, electam te a diis, cui frui non liceret filio. Circui per omnem notorum et ignotorum frequentiam oculis: occurrent tibi passi ubique maiora. Senserunt ista magni duces, senserunt principes: ne deos quidem fabulae immunes reliquerunt, puto, ut nostrorum funerum levamentum esset, etiam divina concidere. 5. Circumspice, inquam, omnes: nullam tam miseram nominabis domum, quae non inveniat in miseriore solatium. Non, mehercule, tam male de moribus tuis sentio, ut putem posse te levius pati casum tuum, si tibi ingentem numerum lugentium produxero: malevoli solatii genus est, turba miserorum. Quosdam tamen referam, non ut scias, hoc solere hominibus accidere: ridiculum est enim, mortalitatis exempla colligere: sed ut scias fuisse multos, qui lenierunt aspera ferendo placide. 6. A felicissimo incipiam. L. Sylla filium amisit: nec ea res aut militiam eius, et acerrimam virtutem in hostes civesque contudit, aut effecit, ut cognomen illud usurpasse salvo videretur, quod amisso filio assumsit: nec odia hominum veritus, quorum malis illius nimis secundae res constabant: nec invidiam deorum, quorum illud

Qualis diu effici potest diu effici accipiendum puto pro: *diuturnus effici, effici, ut esset diuturnus.* Et alibi Seneca adverbium pro adjectivo usurpat. In hoc libro Cap. III. § 4. *moderatius ac mitius eris in aerumnis.*

crimen erat, Sylla tam felix. Sed istud inter res nondum iudicatas habeatur, qualis Sylla fuerit: etiam inimici fatebuntur, bene illum arma sumsisse, bene posuisse: hoc, de quo agitur, constabit, non esse maximum malum, quod etiam ad felicissimos pervenit.

Sed istud inter res ... fuerit. Ruhkop. annotat »mirationem »facere posse, plus centum »annis post Syllam praeter»lapsis, necdum inter viros »doctos convenisse de ejus in»genio, moribus et consiliis. »Spectare autem hoc videtur, »ait ille, et ad firmitatem, »quin crudelitatem, ac mol»litiem ingenii, et ad abdi»cationem dictaturae, unde »diversitas judiciorum orta »sit." Ego aliter explicandum puto: Senecae quidem non dubium fuit quin iste scelestus dicendus esset, conf. de Clem. Lib. I. Cap. XII. de Ira Lib. I. Cap. XVI. § 26 et Lib. II. Cap. XXXIV. § 3. De Provid. Lib. III. § 7 et § 8; sed alii aliter ea de re judicabant. Haec judiciorum discrepantia unde orta sit satis mihi indicare videtur Vellejus Paterculus Lib. II. Cap. XVII. *L. Cornelius Sylla: vir qui neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest.* Quocum consentit Valer. 9, 2, 1, ut monet Boeclerus ad Velleji locum, *L. Sylla, quem neque laudare, neque vituperare quisquam satis digne potest: quia dum quaerit victorias, Scipionem se populo Romano; dum saevitiam exercet, Annibalem repraesentavit.* Ni Sylla fuisset, actum fuisset de Republica. Itaque omnes boni se cum eo jungebant, ut furoribus Marianis resisteretur. Hoc nomine satis digne laudari non potest. Sed ob crudelitatem, qua postea egregia sua facinora maculavit, et a Seneca et ab historicis summo jure vituperatur.

Bene ... arma sumsisse sc. contra Marianos.

Bene posuisse scil. non, nisi victis Marianis. Quamvis

XIII. Ne nimis admiretur Graecia illum patrem, qui in ipso sacrificio nuntiata filii morte, tibicinem tantum facere iussit, et coronam capiti detraxit, cetera rite perfecit: Pulvillus effecit pontifex, cui postem tenenti, et Capitolium dedicanti, mors filii nuntiata est: quam ille exaudisse dissimulans, et sollemnia pontificalis carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem, et ad filii sui nomen, Iove propitiato. Putasses eius luctus aliquem finem esse

pessimus homo Sylla, laudandus tamen quod Marianos fudit. Dicit igitur Seneca: quod de Sylla dixi, non omnes mihi concedant, et lis de meritis Syllae adhuc sub judice sit, hoc tamen constabit sqq.

Coronam capiti detraxit. Causam cur id facerent antiqui in re tristi tradit Athenaeus Lib. XV. Cap. V. pag. 674 F. et 675 A.

Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῷ Συμποσίῳ φησὶν, ὅτι, Οὐδὲν Κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς θεοὺς, ἀλλά τέλεια καὶ ὅλα. τὸ δὲ πλῆρες, τέλειόν ἐστι. τό δὲ στέφειν, πλήρωσιν τινα σημαίνει. Ὅμηρος·

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπιστέψαντο ποτοῖο.

καὶ,

Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει.

τοὺς γὰρ αὖ τὴν ὄψιν ἀμόρφους, φησὶν, ἀναπληροῖ ἡ τοῦ λέγειν πιθανότης. ἔοικεν οὖν ὁ στέφανος τοῦτο ποιεῖν βούλεσθαι. διὸ καὶ περὶ τὰ πένθη τοὐναντίον παρασκευάζομεν. ὁμοιοπαθείᾳ γὰρ τοῦ κεκμηκότος, κολοβοῦμεν ἡμᾶς αὐτοὺς τῇ τε κουρᾷ τῶν τριχῶν, καὶ τῇ τῶν στεφάνων ἀφαιρέσει.

Conf. quoque Plutarch. in Consol. ad Apollon. pag. 118 C, D. et notas ad hunc locum Wyttenb.

Et solemnia. Particulam *et* delendam quis non perspiciat?

Putasses ejus. Lipsius in codice additum habebat *meus*, unde conjecit *Putassesne* interrogative, quod libentissime recipio; quum et sensui conveniat, et ex verbo illo

debere, cuius primus dies, primus impetus ab altaribus publicis, et fausta nuncupatione non abduxit patrem. 2. Dignus mehercule fuit memorabili dedicatione, dignus amplissimo sacerdotio, qui colere deos ne iratos quidem destitit. Idem tamen, ut rediit domum, et implevit oculos, et aliquas voces flebiles misit: et peractis, quae mos erat praestare defunctis, ad Capitolinum illum rediit vultum. Paullus circa illos nobilissimi triumphi dies, quo vinctum ante currum egit Persen, incluti regis nomen, duos filios in

corrupto *meus* facile retrahatur; nam *meus* ortum puto ex particula illa *ne* et sequenti *ejus*. Legatur igitur *Putassesne ejus luctus* sqq.

Inclyti regis nomen. Vult Lipsius *inclytum;* »Non enim, inquit, »ipsum laudat, sed »nomen famamque *inclytam* »donat, ob regum veterum »gloriam et suam cladem." Ruhk. hanc emendationem non opus esse judicat. Contra sentio. Rationem a Lipsio allatam probo, addoque, hanc constantem Senecae scribendi esse rationem: ut adjectivum a suo substantivo sejungat verbo interposito. Dictionem autem sic explicandam puto: ut *inclytum regis nomen* sit pro: *regem inclyti nominis.* Sic de Cl. I. Cap. XXVI. § 2. *Apparentur licet magna impensa, et regiis opibus, et artificum exquisitis nominibus* pro *artificibus exquisitorum nominum.*

Et viri illustres saepe dicuntur *magna, inclyta nomina.*

Propertius Lib. II. El. I. v. 41 et 42.

Nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.

Virgilius Lib. III. Georg. v. 47

Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas,
Caesaris et nomen fama tot ferre per annos.

Cic. ad famil. Ep. 7. Lib. III.

adoptionem dedit: quos sibi servaverat, extulit. Quales retentos putas, quum inter commodatos Scipio fuisset? 3. Non sine motu vacuum Paulli currum populus Romanus adspexit: concionatus est tamen, et egit diis gratias, quod compos voti factus esset. Precatum enim se, ut si quid ob ingentem victoriam invidiae dandum esset, id suo potius, quam publico damno solveretur. Vides quam magno animo tulerit? Orbitati suae gratulatus est. Ecquem magis poterat movere tanta mutatio? Solatia simul atque auxilia perdidit: non contigit tamen tristem Paullum Persi videre.

XIV. Quid nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam, et quaeram miseros, quasi non difficilius sit, invenire felices? Quota quaeque domus usque ad exitum omnibus partibus suis con-

Tamen ista vestra nomina numquam sum admiratus. Ibi conf. Graevius.

Tulerit? Interrogandi signum delendum puto.

Ecquem magis sqq. Haec verba mora et scrupulum mihi injiciunt. Nemo editorum ea tetigit. Ex antecedentibus colligebam Paullum minime motum fuisse hac filiorum morte. Tento autem: ***ecquid magis poterat movere tanta mutatione?*** tum ***poterat*** accipiendum ac si esset ***posset*** (ut Cap. I. ***arserat***), et intelligendum: ***aliquem Paullo infirmiorem?*** At si abessent verba allata, multo melius caderent quatuor ultimae sententiae: ***Vides quam magno animo tulerit: orbitati suae gratulatus est. Solatia simul atque auxilia perdidit: non contigit tamen tristem Paullum Persi videre.***

stitit, in qua non aliquid turbatum sit? Unumquemlibet annum occupa, et ex eo magistratus cita. 2. Marcum, si vis, Bibulum, et C. Caesarem: videbis inter collegas inimicissimos concordem fortunam. M. Bibuli, melioris quam fortioris viri, duo simul filii interfecti sunt: Aegyptio quidem militi ludibrio habiti: ut non minus ipsa orbitate, auctor eius, digna res lacrimis esset. Bibulus tamen, qui, toto honoris sui anno, ob invidiam collegae, domi latuerat, postero die quam geminum funus renunciatum est, processit ad solita et publica officia. 3. Quid minus poterat, quam unum

Melioris quam fortioris viri. Haec verba repugnant testimonio Ciceronis. Ep. ad Div. Lib. XV, I. *judicavit vir fortissimus M. Bibulus.* De Harusp. Resp. Cap. XXIII. *producebat fortissimum virum M. Bibulum. Pro Domo* Cap. XV. *Adest praesens vir singulari virtute, constantia, gravitate praeditus, M. Bibulus.* Conf. de Domo Cap. XXVI. Discrepant a commentariis Caesaris de B. C. Lib. III. 8, 14, 15, 16, 18. Ubi multa praeclaraque ejus facinora memorantur, ob quae in morbum incidit Bibulus, et in classe *quum neque curari posset, neque susceptum officium deserere vellet, vim morbi sustinere non potuit.* Haec fortitudo firmatur his veterum historicorum locis: Dio XLI. Cap. 48, XXXVIII. pag. 60 et 61. Sueton. Caes. Cap. XX sqq. Orosius VI. 6. Appian. p. 434 inprimis Valerius Maximus. Quid, quod haec verba ipsius Senecae menti repugnant? qui fortitudinis exemplum profecto non ab ignavo proferret; multoque minus ignaviam diserte declararet. Fieri potest, ut Seneca scripserit: *melioris an fortioris viri*, h. e. qui, dubito, vir melior an fortior fuerit.

diem duobus filiis dare! tam cito liberorum luctum finivit, qui consulatum anno luxerat. C. Caesar quum Britanniam peragraret, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audivit decessisse filiam, publica secum fata ducentem. In oculis erat iam Cn. Pompeius, non aequo laturus animo, quemquam alium esse in Republica magnum, et modum impositurus incrementis, quae gravia illi videbantur, etiam quum in commune crescerent. Tamen intra tertium diem imperatoria obiit munia, et tam cito dolorem vicit, quam omnia solebat.

XV. Quid aliorum tibi funera Caesarum referam?

In oculis erat jam Cn. Pompejus. Explicat Ruhk. »observabat eum.” Hanc significationem vellem exemplis stabilivisset. Drakenb. ad Livium Tom V. pag. 61 *in oculis esse* tantum per *in conspectu esse* explicat. Et sic quoque hoc loco accipiendum est. Pompejus erat jam in Caesaris oculis, ante ejus oculos semper quasi versabatur, de Pompejo unice cogitabat Caesar. Sic Ep. XLIX. § 2. *Totus mihi in oculis es, . . . quum maxime a te discedo.*

In commune. Conjiciebat Pincianus *in concivem*, sine causa. Ep. XCV. § 53. *Habeamus in commune, quod nati sumus.* Locum de Caesare elegantissimum apponere lubet, Ep. XCIV. § 65. *Unum ante se ferre non potuit, quum Resp. supra se duos ferret.*

Quam omnia solebat. Pontani ad Macrobium p. 70 conjectura: *quam omina solebat* loco e Consol. ad Polyb. XXXIV. § 3 statim refutatur. *Tamen tot tantosque luctus cepit rerum omnium capacissimum ejus pectus, victorque divus Augustus non gentium tantummodo externarum, sed etiam dolorum fuit.*

quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, ut sic quoque generi humano prosint, ostendentes, ne eos quidem, qui diis geniti deosque udituri dicantur, sic suam fortunam in potestate habere, quemadmodum alienam. 2. Divus Augustus, amissis liberis, nepotibus, exhausta Caesarum turba, adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen fortiter: tanquam eius iam res ageretur, cuius quum maxime intererat, de diis neminem queri. Tib. Caesar et quem genuerat, et quem adoptaverat, amisit: ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu, posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret, et flente populo Romano non flexit vultum: experiendum se dedit Seiano ad latus stanti, quam patienter posset suos perdere. 3. Videsne, quanta copia virorum maximorum sit, quos non excepit hic omnia prosternens casus, in quos tot animi bona, tot ornamenta publice privatimque

In hoc. Recte Ruhk. *hoc consilio.* Formula frequens. Ad Helviam XVI. § 12 *alter in hoc dignitatem excolit, ut tibi ornamento sit: alter in hoc se ad tranquillam quietamque vitam recepit, ut tibi vacet.* Conf. de Ira Lib. II. Cap. XXVI. § 3, et Lib. III. XXXV. § 2 ad Polyb. XXXIII, 4. Conf. quoque Ruhnken. ad Vell. Pat. 2, 45.

Cujus quum maxime interérat. Simili adulatione V. Paterculus, II. Cap. CXXX de Tiberio. *Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeji munera absumpta igni restituit? qui, quidquid umquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum*

congesta erant? Sed videlicet it in orbem ista tempestas, et sine dilectu vastat omnia, agitque ut sua. Iube singulos conferre rationem: nulli contigit impune nasci.

XVI. Scio quid dicas: »Oblitus es, feminam te »consolari: virorum refers exempla.'' Quis autem dixerit, naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse, et virtutes illarum in arctum retraxisse? Par illis, mihi crede, vigor, par ad honesta (libeat!) facultas est: laborem doloremque ex aequo, si consuevere, patiuntur. In qua istud urbe, dii boni, loquimur? In qua regem Romanis capitibus Lucretia et Brutus deiecerunt. Bruto libertatem debemus, Lu-

Agitque ut sua i. e. *secum agit, rapit.* De Vita Beat. Cap. XXVIII. *At ego ex alto prospiciens, video quae tempestates aut immineant vobis, paulo tardius rupturae nimbum suum, aut jam vicinae; vos ac vestra rapturae, propius accesserint.*

Mihi crede. Formula Senecae usitata, vim dicendi augendo maxime inserviens. Sic Ep. LXXVIII. § 20. *Est, mihi crede, virtuti etiam in lectulo locus.* De Brevit. Vitae XVIII § 2: *Sed tamen, mihi crede, satius est vitae suae rationes, quam frumenti publici nosse.* Haec autem formula quam miram auctoritatem dicenti, gravitatemque sententiae conciliet declarat et locus Ciceronis Tusc. I. § 75. *Qua re hoc commentemur, mihi crede, disjungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori.*

Laborem doloremque. Haec saepissime jungit Cicero aliique Latini et Graeci, ut notum est. Sic quoque Sophocles Antig. vs. 41

Εἰ ξυμπονήσεις καὶ ξυνεργάσει, σκόπει.

cretiae Brutum. In qua Cloeliam, contemto hoste et flumine, ob insignem audaciam tantum non in viros transcripsimus. Equestri insidens statuae, in sacra via, celeberrimo loco, Cloelia exprobrat iuvenibus nostris pulvinum ascendentibus, in ea illos urbe sic ingredi, in qua etiam feminas equo donavimus. 2. Quod tibi si vis exempla referri feminarum, quae suos fortiter desideraverunt, non ostiatim quaeram: ex una tibi familia duas Cornelias dabo. Primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem. Duodecim illa partus, totidem funeribus recognovit. Et de ceteris facile est, quos nec editos, nec amissos civitas sensit. Ti. Gracchum, et Caium, quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur, et occisos vidit et insepultos: consolantibus tamen miseramque dicentibus, Nunquam, inquit, non felicem me dicam, quae Gracchos peperi. 3. Cornelia Livii Drusi, clarissimum iuvenem, illustris ingenii, vadentem per Gracchana vestigia, imperfectis tot rogationibus, intra penates interemtum suos amiserat, incerto caedis

Tantum non i. e. fere, vid. Duk. ad Florum in indice ad verbum *tantum.*

De ceteris facile est. Brevior dicendi ratio: pro: *de ceteris consolari facile est*, quod verbum e sequenti *consolantibus* repetendum est. *De caeteris* significat, *quod ad caeteros attinet.* Sic Martialis Lib. I. Ep. XIX. vs. 5:

De nobis facile est: scelus est jugulare Falernum.

Ibi *de nobis facile est* explicatur: *nos jugulare facile est.*

Intra penates. Apud Senecam ceterosque illius aevi

auctore: tamen et acerbam mortem filii, et inultam, tam magno animo tulit, quam ipse leges tulerat. Iam cum fortuna in gratiam, Marcia, reverteris, si tela, quae in Scipiones, Scipionumque matres ac filios exegit, quibus Caesares petiit, ne a te quidem continuit. 4. Plena et infesta variis casibus vita est: a quibus nulli longa pax, vix induciae sunt. Quatuor liberos sustuleras, Marcia, nullum aiunt frustra cadere telum, quod in confertum agmen immissum est. Mirum est, tantam turbam non potuisse sine invidia damnove praetervehi? At hoc iniquior fortuna fuit, quod non tantum filios eripuit, sed elegit. Nunquam tamen iniuriam dixeris, ex aequo cum potentiore dividere: duas tibi reliquit filias, et harum nepotes: et ipsum quem maxime luges, prioris oblita, non ex

scriptores saepissime occurrit tumidum illud *penates* pro simpliciore *domus*. De Benef. V, XVII. § 1. *exsulavit post Catilinam Cicero, diruti ejus penates, bona direpta.* Conf. Nat. Quaest. VI, I. § 4. Tacit. Ann. V, I. Plin. Sec. Ep. XXIII. Lib. VIII.

Sustuleras i. e. *pepereras*, quo sensu verbum *tollere* apud Senecam aliosque saepe occurrit. Confr. interpretes ad Suetonium in Tib. VII. § 4.

Ludit hoc verbo V. Paterculus I, XI. (Metellus) *quatuor filios sustulit, omnes adultae aetatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos, mortui ejus lectum pro Rostris sustulerunt, quatuor filii.*

Elegit scil. e quatuor liberis, ut, praetermissis filiabus, ipsos filios eriperet.

Ex aequo brevi post: *ex toto.* Hanc formulam Senecae placuisse ostendit doct. Hirschig, in diss. de Sen. Tranq. animi pag. 94.

toto abstulit. Habes ex illo duas filias; si male fers, magna onera: si bene, magna solatia. In hoc te perduxit, ut, illas quum videris, admonearis filii, non doloris. 5. Agricola, eversis arboribus, quas aut ventus radicitus evulsit, aut contortus repentino impetu turbo perfregit, sobolem ex illis residuam fovet, et amissarum semina statim plantasque disponit: et momento (nam ut in damna, ita ad incrementa rapidum veloxque tempus est) adolescunt amissis laetiora. 6. Has nunc Metilii tui filias in eius vicem substitue, et vacantem locum exple. Unum dolorem geminato solatio leva. Haec quidem natura mortalium est, ut nihil magis placeat, quam quod amissum est. Iniquiores sumus adversus relicta, ereptorum desiderio: sed si aestimare volueris, quam tibi

In hoc te perduxit. »Vel»lem, ait Lipsius, *in hoc tibi »produxit*, aut *in hocce pro»duxit.*" Posteriorem emendationem unice recipiendam puto, quum a vulgata minime recedat, et convenientem sententiam exhibeat, quam e verbis, ut nunc legitur, elicere nequaquam possum. Itaque pro *in hoc te perduxit* legendum puto cum Lipsio *in hocce produxit* i. e. quas filias eum in finem produxit fortuna, ut sqq. De formula *in hoc* vid. Cap. XV. § 1.

Disponit. Markland. ad Papinium Statium pag. 100 mavult *deponit* cum de plantatione non ordinatione et dispositione ex sensu liqueat eum agere. Confert ille Gronovii notam ad locum Senecae similem Ep. LXXXVI. His duorum gravissimorum virorum rationibus quid objici queat non video; itaque amplector emendationem ut pro *disponit* legatur *deponit.*

valde fortuna, etiam quum saevierit, pepercerit, scies te habere plus quam solatia. Respice tot nepotes, duas filias.

XVII. Dic illud quoque, Marcia: »Moveret me, »si esset cuique pro moribus fortuna, nunquam mala »bonos sequerentur: nunc video, exemto discrimine, »et eodem modo, malos bonosque iactari. Grave »est tamen, quem educaveris iuvenem, iam matri, »iam patri praesidium ac decus, amittere." Quis negat grave esse? sed humanum est. Ad hoc genita es ut perderes, ut perires, ut sperares, metueres, alios teque inquietares, mortem et timeres et optares, et, quod est pessimum, nunquam scires cuius esses sta-

Jam matri, jam patri. Sed Metilius *pupillus relictus erat, et sub tutorum cura usque ad decimum quartum annum fuit* (Cap. XXIV. § 1). Ergo pater jam dudum nunc mortuus erat. Non autem credam tam obliviosum fuisse Senecam, et ne sic quidem matrem primo loco appellaturum fuisse. Fortasse scribendum *jam matri paratum praesidium* sqq.

Praesidium ac decus. Similiter Horatius Carm. I. Lib. I. *Maecenas atavis edite regibus, O et praesidium et dulce decus meum!* Ibi conf. vir Cl. Peerlk. docens haec duo saepissime atque eleganter conjungi. Sic quoque noster de Benef. III, XXXIII. § 3. *ipsi urbi nescio utrum majus praesidium afferens, an decus?*

Ut perderes, ut perires. Horum verborum similitudine gavisus videtur Seneca. Ep. XCVIII. § 10. *Tam necesse est perire quam perdere.* Nat. Q. VI. Cap. II. § 1. *Nego quidquam esse quietis aeternae, quod perire possit, et perdere.*

tus. 2. Si quis Syracusas petenti diceret: omnia incommoda, omnes voluptates futurae peregrinationis tuae ante cognosce, deinde ita naviga. Haec sunt quae mirari possis: videbis primum ipsam insulam ab Italia angusto intercisam freto, quam continenti quondam cohaesisse constat; subitum illo mare irrupit, et

Hesperium Siculo latus abscidit:

deinde videbis (licet enim tibi avidissimum maris verticem stringere) stratam illam fabulosam Charybdim, quamdiu ab Austro vacat; at si quid inde vehementius spiravit, magno hiatu profundoque navigia sorbentem. 3. Videbis celebratissimum carminibus fontem Arethusam, nitidissimi ac perlucidi ad imum stagni, gelidissimas aquas profundentem: sive illas ibi primum nascentes invenit, sive immersum terris

Ita naviga. Sic Ep. CXVII. § 23. »*Ita, inquit, quam primum moriar.*" *Ita*, autem, pro *ea conditione.*

Licet enim. Lipsius edidit: *licebit enim*, unde, non dixit, sed hic necessarie requiri mihi videtur.

Stringere. Hujus verbi vim optime explicat locus de Provid. IV. § 9. *Quem specularia semper ab adflatu vindicarunt ... hunc levis aura non sine periculo stringet.* Conf. ibi Nauta.

Ibi primum nascentes invenit sqq. Corrupta haec judicat T. Hemsterhusius Lucian. Tom. I. pag. 297, et »timide, »ut ait, conjicit: *sive illas* »*ibi primum nascens invenit;* »*sive in ipsum penetrans flu-* »*men etc.*" nam, addit ille, Nat. Q. VI. Cap. 8 similiter fere dixit: *Alpheum, celebratum poetis, in Achaja mergi*,

flumen integrum subter tot maria, et a confusione peioris undae servatum, reddidit. Videbis portum quietissimum omnium, quos aut natura posuit in tutelam classium, aut adiuvit manus, sic tutum, ut ne maximarum quidem tempestatum furori locus sit. 4. Videbis, ubi Athenarum potentia fracta: ubi tot millia captivorum, ille excisis in infinitam altitudinem saxis, lautumius carcer incluserat, ipsam ingentem civitatem, et laxius turritam, quam multarum urbium fines sint, tepidissima hiberna, et nullum diem sine interventu solis. Sed quum omnia ista cognoveris, gravis et insalubris aestas hiberni coeli beneficia cor-

et in Sicilia rursus transjecto mari effundere amoenissimum fontem Arethusam. Conjecit sic e codd. lectione: *sive in ipsum trans flumen:* unde Gronovius tentaverat *sive Pisa means flumen.* Cur vulgatum corruptum putet non addit Hemsterhusius. Credo, quod ipse fons *nasci* quidem, non autem *nascentes aquas* invenire potest; deinde quod flumen *mari immergebatur*, non *terris*. Ejus autem emendationi hoc, ut mihi videtur, obstat, quod tum noster non similia ac Nat. Q. VI. Cap. 8, sed contraria diceret. Eo enim loco docet Alpheum penetrare in fontem, *et sic eum effundere*, non fontem in flumen. Lipsii codicis lectione retenta, omnis difficultas sublata videtur; quam ipse Lipsius autem jam non spernendam dixit. Ibi legitur: *nascens invenit, sive ipsum terris flumen* sqq. *ipsum* ad fontem referri debet. Hanc igitur lectionem in textum recipiendam duco; quae plane cum loco illo e Q. N., apposite ab Hemsterhusio allato, convenit.

Laxius turritam annotat Casaubonus »i. e. moenitam *πυργοφορὸν*."

mpet. Erit Dionysius illic tyrannus, libertatis, iustitiae, legum exitium, dominationis cupidus etiam post Platonem, vitae etiam post exsilium: alios uret: alios verberabit, alios ob levem offensam iubebit detruncari; arcesset ad libidinem mares feminasque, et inter foedos regiae intemperantiae greges parum erit, simul binis coire. 5. Audisti quid te invitare possit, quid absterrere: proinde aut naviga, aut resiste. Post hanc denuntiationem, si quis dixisset intrare se Syracusas velle, satisne iustam querelam de ullo, nisi de se, habere posset, qui non incidisset in illa, sed prudens sciensque venisset? Dicit omnibus nobis natura: Neminem decipio. Tu si filios sustuleris, poteris habere formosos, poteris et deformes: et si fortasse tibi multi nascentur, esse ex illis aliquis tam servator patriae, quam proditor poterit. 6. Non est quod desperes tantae dignationis futuros, ut nemo tibi propter illos maledicere audeat: propone tamen et

Post Platonem ... post exsilium. Omisso verbi alicujus participio. In eo recentioris aevi scriptores sibi placuisse, rarius ita loqui antiquos prosae scriptores docuit vir Cl. Peerlk. ad Horat. Lib. I. Ode XVIII ad verba: *quis post vina* cet.

Et sane plurimis sic locis scripsit Seneca: de Tranq. XI. § 11. *Cupiditatum vanitatem nostrarum sero, post multum pudorem, intelligamus.* De Clem. I, XI. § 1. *Fuerit moderatus et clemens: nempe post Perusinas aras, et proscriptiones.* Ep. CXIX. § 8. *Post Darium et Indos pauper est Alexander Macedo.* Nat. Q. III. Praef. § 6. *Hannibal... etiam post Karthaginem pertinax.*

tantae futuros turpitudinis, ut ipsi maledictum sint. Nihil vetat illos tibi suprema praestare, et laudari te a liberis tuis: sed sic te para, tanquam in ignem positura, vel puerum, vel iuvenem, vel senem. Nil enim ad rem pertinent anni: quoniam nullum non acerbum funus est, quod parens sequitur. Post has leges propositas, si liberos tollis, omni deos invidiâ liberas, qui tibi nihil spoponderunt.

XVIII. Ad hanc imaginem agedum totius vitae introitum referamus. Syracusas visere deliberanti tibi, quidquid delectare poterat, quidquid offendere, exposui: puta nascenti me tibi venire in consilium. Intratura es urbem diis hominibusque communem,

Ut ipsi maledictum sint. Explicat Ruhk. *ut nomina eorum loco maledicti sint*, sed sic *ipsi* languet, meliusque abesset; nam qui alii, nisi filii, maledictum essent? *ipsi* ad matrem referendum puto, tum pulcre haec respondeant, prioribus: *ut nemo tibi propter illos maledicere audeat.*

Nullum non acerbum funus est cet. Vel hoc uno pax bello praeferenda est, ut Croesus apud Herodotum disserit. Quem locum qui legerit patrem historiae non amare non potest. Est Lib. I. C. LXXXVII. *Οὐδεὶς γὰρ οὕτω ἀνόητός ἐστι, ὅστις πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται, ἐν μὲν γὰρ τῇ οἱ παῖδες τοὺς πατέρας θάπτουσι· ἐν δὲ τῷ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας.* Hesiodus jam maximum hoc pacis commodum esse intellexit de pace canens. *Ἔργα καὶ Η.* v. 226. *ειρηνη δ'ανα γῆν κουροτρόφος.* Et Eurip. suppl. 492 de pace *τέρπεταί τ' εὐπαιδίᾳ.*

Urbem. Saepe sic noster. Conf. Nauta ad Provid. V. § 3. Cum domo quoque noster mundum comparat Ep. XC. § 42 elegantissime:

omnia complexam, certis legibus aeternisque devinctam, indefatigata coelestium officia volventem. Videbis illic innumerabiles stellas, miraberis uno sidere omnia impleri, solem quotidiano cursu diei noctisque spatia signantem, annuo aestates hiemesque aequaliter devidentem. 2. Videbis nocturnam lunae successionem, a fraternis occursibus lene remissumque lumen mutuantem, et modo occultam, modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mutabilem, semper proximae dissimilem. Videbis quinque sidera diversas agentia vias, et in contrarium praecipiti mundo nitentia: ex horum levissimis motibus fortunae populorum dependent, et maxima ac minima perinde formantur, prout aequum iniquumve sidus incessit. Miraberis collecta nubila, et cadentes

Non impendebant caelata laquearia: sed in aperto jacentes sidera superlabebantur, et insigne spectaculum noctium: mundus in praeceps agebatur, silentio tantum opus ducens. Tam interdiu illis, quam noctu, patebat prospectus hujus pulcherrimae domus.

Terris imminentem. Horat. Carm. IV. Lib. I.

Jam Cytherea chorus ducit Venus,
imminente luna.

Damnisque mutabilem. Saepe ponuntur de luna *damna.* Conf. interpr. ad Horat. Carm. VII. Lib. IV.

Sidus incessit. Incedo proprium in re gravi, de Tranq. I. § 6. *Nec inter illa frivola mea tam altus incedo.* Ibid. III. § 14. *Socrates ... quum inter triginta dominos liber incederet* Graecorum σοβεῖν.

Hujusmodi autem nugas jam veteres riserunt, quae loca collegit Lindenbrogius ad Censorinum de die natali pag. 58. Cic. de Div. Lib. II. Sext.

aquas, et obliqua fulmina, et coeli fragorem. 3. Quum satiatos spectaculo supernorum in terram oculos deieceris, excipiet te alia forma rerum, aliterque mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fusa planities, hinc montium magnis et nivalibus surgentium iugis erecti in sublime vertices: deiectus fluminum, et ex uno fonte in Orientem Occidentemque defusi amnes; et summis cacuminibus nemora nutantia, et tantum silvarum cum suis animalibus, aviumque concentu dissono. Varii urbium situs, et seclusae nationes locorum difficultate; quarum aliae se in erectos subtrahunt montes, aliae ripis, lacu, vallibus, palude circumfunduntur: adiuta cultu seges, et arbusta sine cultore fertilia, et rivorum lenis inter prata discursus, et amoeni sinus, et litora in portum rece-

Emp. adv. Mathem. Cap. XXI. Simpl. in Epict. Cap. I, alia. Tacitus autem dubitare videtur. Ann. VI, 22. *Sed mihi, haec ac talia audienti, in incerto judicium est, fatone res mortalium et necessitate inmutabili, an forte volvantur, quippe sapientissimos veterum, quique sectam eorum aemulantur, diversos reperies, ac multis insitam opinionem, non initia nostri, non finem, non denique homines Diis curae. Ideo creberrime et tristia in bonos et laeta apud deteriores esse. Contra alii, fatum quidem congruere rebus putant, sed non e vagis stellis, verum apud principia et nexus naturalium caussarum: ac tamen electionem vitae nobis relinquunt; quam ubi elegeris, certum imminentium ordinem,* et sic porro.

Summis cacuminibus nemora nutantia. Hoc imitati sunt homines qui, ut noster ait, de Ira I, XVI. 31 *nemora suspendere.*

dentia, sparsae tot per vastum insulae, quae interventu suo maria distinguunt. 4. Quid lapidum gemmarumque fulgor, et inter rapidorum cursum torrentium aurum arenis interfluens, et in mediis terris, medioque rursus mari nitentes ignium faces, et vinculum terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici sinu scindens, et ingenti licentia exaestuans? Videbis his inquietis, et sine vento fluctuantibus aquis immani et excedenti terrestria magnitudine animalia, quaedam gravia et alieno se magisterio moventia, quaedam velocia, concitatis perniciora remigiis, quaedam haurientia undas, et magno praenavigantium periculo efflantia. 5. Videbis hic navigia, quas non novere terras, quaerentia. Videbis nihil humanae audaciae intentatum, erisque et spectatrix, et ipsa pars magna conantium: disces docebisque artes, alias quae vitam instruant, alias quae ornent, alias quae regant. Sed istic erunt mille corporum et animorum pestes, et bella, et latrocinia, et venena, et naufragia, et intemperies coeli corporisque, et carissimorum

Per vastum. Alibi huic adjectivo substantivum *mare* addere solet Seneca. De Provid. Cap. I. § 3 *et nova insularum in vasto exsilientium mari spatia.* Hoc autem loco omisit *mare* credo ob sequens *maria. Profundum* vero pro *mari* solum nonnumquam ponit noster. Nat. Q. Lib. VI. Cap. IV. § 2 *novas in profundo insulas erigit.*

Lapidum gemmarumque. Haec verba saepissime conjunguntur. Vid. Brouckh. ad Tibullum pag. 170.

acerba desideria, et mors, incertum, facilis, an per poenam cruciatumque. 6. Delibera tecum, et perpende quid velis. Ut in illa venias, per ista exeundum est. Respondebis, velle te vivere? Quidni? Immo, puto, ad id non accedes, ex quo tibi aliquid detrahi doles. Vive ergo, ut convenit. Nemo, inquis, nos consuluit. Consulti sunt de nobis parentes nostri: qui quum conditionem vitae nossent, in hanc nos sustulerunt.

XIX. Sed ut ad solatia veniam, videamus primum quid curandum sit, deinde quemadmodum. Movet lugentem desiderium eius, quem dilexit. Id per se tolerabile apparet. Absentes enim abfuturosque, dum viverent, non flemus, quamvis omnis usus illorum nobis et conspectus ereptus sit. Opinio est ergo, quae nos cruciat: et tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus. In nostrâ potestate remedium habemus. Iudicemus illos abesse, et nosmetipsi nos fallamus. Dimisimus illos: immo consecuturi prae-

Nosmet ipsi nos fallamus. Lipsius et Ruhk. e codicibus nonnullis *nosmet ipsi non fallamus*, et addit hic, »re»vera non fallemus nos quan»doquidem et in peregrina»tione sunt et vivunt." Equidem lectionem quam hic habemus tenendam puto. Nam Seneca incertum habebat mortui viverent, nec ne; et hoc quidem capite ponit: mortuos *nihil* esse. Tum Marciam sic consolari conatur: fallere nos debemus, ait, i. e. animum dolentem, ei dicentes: *absunt mortui.* Hoc enim revera dici potest; sed alio sensu accipiendum est ac noster animus dolens tum acci-

misimus. 2. Movet et illud lugentem »Non erit qui »me defendat, qui a contemtu vindicet." Ut minime probabili, sed vero solatio utar: in civitate nostra plus gratiae orbitas confert, quam eripit. Adeoque senectutem solitudo, quae solebat destruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, et liberos eiurent, et orbitatem manu faciant. Scio quid dicas: »Non movent me detrimenta mea: etenim non est dignus solatio, qui filium sibi decessisse, sicut mancipium, moleste fert: cui quidquam »in filio respicere, praeter ipsum, vacat." 3. Quid igitur te, Marcia, movet? utrum, quod filius tuus decessit: an, quod non diu vixit? Si, quod decessit, semper debuisti dolere: semper enim scisti mori. Cogita, nullis defunctum malis affici; illa quae nobis

pit, qui sic credit illos abesse tamquam reversuros, dum nihil sunt, ergo in aeternum absunt. Et suppeditat auctor verba quibus magis *fallamus nosmet ipsi* sive animum nostrum dolentem. Ille enim dicere potest: *dimisimus illos*, responde: *immo consecuturi praemisimus*, scil. in eumdem locum, in nihilum abituri.

Quae solebat destruere. Conferatur locus de Tranq. II. § 9. *Alit enim livorem infelix inertia: et omnes destrui cupiunt, quia se non potuerunt provehere: et hac deinde aversatione alienorum processuum, et suorum desperatione obirascens fortunae animus.*

Semper enim scisti mori. Mori pro *moriturum esse.* Conf. Sanct. Min. Lib. I. Cap. XIV, pag. 111, ubi plurima hujus generis exempla inveniuntur. Posset fortasse et sic explicari: scisti enim semper mori, hoc est in perpetuum, non in aliquod tempus, εἰς ἀεί.

inferos faciunt terribiles, fabulam esse; nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, et reos, et in illa libertate tam laxa ullos iterum tyrannos. Luserunt ista poëtae, et vanis nos agitavere terroribus. 4. Mors omnium dolorum et solutio est et finis: ultra quam mala nostra non exeunt, quae nos in illam tranquillitatem, in qua, antequam nasceremur, iacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, et non natorum misereatur. Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est: quod vero ipsum

Fabulam esse. Hanc lectionem e duobus codd. dedit Gronovius, tertius habebat: *fabulas esse.* Utramque lectionem aeque probat vir magnus. Nisi error me decipit praeferenda est *fabulas esse.* Ep. LXXXII. § 15 *istas fabulas esse.* Ep. LXXIX. § 1 *Charybdis an respondeat fabulis.* Contra in tragoediis singulari numero. Troad. 406 et 371 *fabula.* Sed in addendis ad notas corrigit Gronovius pro *illa ... fabulam esse: illas fabulas esse:* et addit: »Ut »Lib. I. de Cl. 8 *Ista, inquit,* »*servitus est.* Sic enim malunt Latini dicere quam »*hoc est servitus:*" sequentia vero loca defendunt lectionem: *illa ... fabulam* (aut *fabulas*) Ep. CV. § 2 *Ex omnibus istis, adeo levissimum est contemtus* (non levissimus).

Ep. CX. § 3 *et intuere, quid sint res nostrae,* (non *quae sint*). De Benef. III. XVII. *Quid impotens? quid crudelis? Impunita tu credis esse, quae invisa sunt.* Gaudet in hujusmodi formulis noster neutro plurali, ut jam supra monitum est; ideo retineo hanc lectionem: *Illa, quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulas esse.*

nihil est, et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit. Mala enim bonaque circa aliquam versantur materiam. Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit: nec potest miser esse, qui nullus est. 5. Excessit filius tuus terminos, intra quos servitur. Excepit illum magna et aeterna pax: non paupertatis metu, non divitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur, non invidia felicitatis alienae tangitur, nec suae premitur, nec conviciis quidem ullis verecundae aures verberantur: nulla publica clades prospicitur, nulla privata: non solicitus futuri pendet ex eventu, semper in deteriora

In deteriora dependenti. Erasmi haec lectio, quam Rukkopfius Lipsii conjecturae praefert, qui e codicis lectione: *incertiora dependenti* conjicit *incertiora rependenti.* Praefert autem Ruhkopfius vulgatam, »quoniam, ut ait, vita »tamquam misera pingitur." Mihi Lipsii conjectura *incertiora rependenti* unice excipienda videtur. Nam verum non est *res semper deteriores fieri*; sive *in deteriora decidere.* Hoc si verum esset, nemo *ex eventu penderet* i. e. incertus esset res bene malene cessurae essent, quum ante jam eventum malum fore sciret. *Nam certa exspectantur; dubia metuuntur*, ut ait noster, Ep. XXX. § 9. Quum vero ipse eventus compluribus rebus junctus sit, quibus nos etiam incertiores simus, de futuro optime dici posse mihi videtur: *eventus semper incertiora rependens. Pendere* autem significare *incertum esse* notissimum est. Ludit hoc verbo Seneca Ep. LXXIV. § 10. *Secedamus itaque ab istis ludis, et demus raptoribus locum. Illi spectent bona ista pendentia, et ipsi magis pendeant.*

dependenti. Tandem ibi constitit, unde nil eum pellat, ubi nil terreat.

XX. O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum inventum naturae laudatur! quae sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem aut lassitudinem senis terminat, sive iuvenile aevum, dum meliora sperantur, in flore deducit, sive pueritiam ante duriores gradus revocat: omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quam de his ad quos venit antequam invocaretur. 2. Haec servitutem invito domino remittit: haec captivorum catenas levat: haec e carcere deducit, quos exire imperium impotens vetuerat: haec exsulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus, ostendit, nihil interesse inter quos quisque iaceat: haec, ubi res communes fortuna

Sive pueritiam ante duriores. Cur duriores illos appellet Seneca, quivis novit, sed non quisque aeque diserte eleganterque causam verbis exposuerit, ac noster fecit Ep. CVIII. § 26. *Quemadmodum ex amphora primum quod est sincerissimum effluit, gravissimum quodque turbidumque subsidit: sic in aetate nostra, quod optimum, in primo est.*

Deducit. Lipsius conjecit: *educit,* sed praefero vulgatam lectionem. *Deducere* enim latiorem habet significationem, quum non tantum *educere* ex aliquo loco, sed simul *adducere* in alium significet. Conf. Arntzenius Panegyr. pag. 618. Ideo hoc loco *deducere* significet: mors non educit tantum miseros ex carcere, sed eos quoque in alium locum traducit, *in libertatem tam laxam, in qua nulli iterum sunt tyranni* (Cap. XIX. § 3).

male divisit, et aequo iure genitos alium alii donavit, exaequat omnia: haec est, quae nihil quidquam alieno fecit arbitrio: haec est, in qua nemo humilitatem suam sensit: haec est, quae nulli paruit: haec est, Marcia, quam pater tuus concupivit. 3. Haec est, inquam, quae efficit, ut nasci non sit supplicium: quae efficit, ut non concidam adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possim. Habeo quo appellam. Video istic cruces

Aequo jure genitos alium alii donavit. Pincianus emendat *aliis* pro *alii*, *aliis* scil. sexto casu. Lipsius jam addidit: »verissime: de rebus »loquitur opibusque quas na»tura communes, fortuna ini»que distribuit huic multas, »illi paucas." Lectionem illam recipiendam duco, sed respondendum est Pricaeo ad Apulei Metam. ed. Bossch. Tom. III. pag. 244 vulgatam *alium alii* defendenti his rationibus. Primum: quod de *rebus* antea locutus, de *personis* subjungit. Deinde: quod et homines exaequare mors satis recte dicitur, res vero nequaquam. Prius argumentum hujus paragraphi initio refellitur, ubi jam de *servis*, *captivis*, *exsulibus* sermo fuit. Quod ad alterum argumentum attinet, hoc non stare posse mihi videtur. Mors pares facit homines, at quibus in rebus? nempe in conditione, iis in rebus quae conditionem hominum constituebant. Hanc conditionem, res ad illam pertinentes, cur non exaequare dici mors possit nondum intelligo. Neque *omnia* solummodo de *rebus* accipi potest; *omnia* quoque per *omnes* explicari potest, ut Cap. VI. § 2 *defuncta* pro *defunctos*. Denique de *servis* jam noster locutus erat, nondum de *pauperibus*. Hi restabant; ideo Pinciani emendatio: *aequo jure genitos alium aliis donavit*, ut mihi videtur, requiritur.

non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Capite quidam conversos in terram suspendere, alii per obscoena stipitem egerunt, alii brachia patibulo explicuerunt. Video fidiculas, video verbera: et membris et singulis articulis singula machinamenta: sed video et mortem. Sunt istic hostes cruenti, cives superbi: sed video istic et mortem. 4. Non est molestum servire, ubi, si domini pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire: contra iniurias vitae, beneficium mortis habeo. Cogita, quantum boni opportuna mors habeat, quam multis diutius vixisse nocuerit. Si Cn. Pompeium, decus istius firmamentumque imperii, Neapoli valetudo abstulisset, indu-

Capite quidam conversos. Senecae aetatis miserias vel ex hac variorum tormentorum ampla cognitione perspicere licet. Eadem infelix et horrida accurata notitio apparet in tragoedia quae inscribitur Seneca Troades v. 573-85.

Ulyss. *Coacta dices, sponte quod fari abnuis.*
Androm. *Tuta est, perire quae potest, debet, cupit.*
Ulyss. *Magnifica verba mors prope admota excutit.*
Androm. *Si vis, Ulysse, cogere Andromacham metu,*
Vitam minare, nam mori votum est mihi.
Ulyss. *Verberibus, igni, morte, cruciatu eloqui*
Quodcunque celas, adiget invitam dolor sqq.

Domini. Ruhkopfius monet in addendis: certa Gronovii emendatione legendum esse *dominii.*

Decus istius firmamentumque. Sic Cap. XVII. § 1. *Praesidium ac decus.*

Abstulisset ... excesserat. Exspectares forte *excessisset*, sed sic solet Seneca Cap. I. § 3 *arserat* pro *arsisset.*

bitatus populi Romani princeps excesserat. 5. At nunc exigui temporis adiectio fastigio illum suo depulit. Vidit legiones in conspectu suo caesas: et ex illo proelio, in quo prima acies senatus fuit, quam infelices reliquiae sunt, imperatorem ipsum superfuisse! vidit Aegyptium carnificem, et sacrosanctum victoribus corpus satelliti praestitit, etiamsi incolumis fuisset poenitentiam salutis acturus. Quid enim erat turpius, quam Pompeium vivere beneficio regis?

Regis. Hanc lectionem contra Gruterum et Lipsium vindicare conatus est magnus Gronovius. Lipsii tamen conjectura pro *regis, gregalis* legentis non esse videtur contemnenda. Nam etsi concedo Gronovio *turpe* futurum fuisse Pompejo *vivere beneficio regis,* »quia, ut in nota ait Gronovius, illum decebat tantummodo regum esse ducem, regibus denuntiare et imperitare, reges beneficarios habere et clientes. Nec honestum est patrono infra beneficia sua jacere et clientelarum gratiam et clementiam experiri. Quia quem populus Romanus dixerat Magnum, eo neminem conveniebat esse majorem." His rationibus recte collegit Gronovius, ut mihi videtur, *vivere beneficio regis* Pompejo *turpe* futurum fuisse. Sed ideo non *ei nihil turpius fuisset,* ut ex verbis *quid enim erat turpius?* tunc tamen sequeretur. *Turpiora,* quae Pompejo acciderant, ipse memorat Seneca. De Brevit. Vitae XIV. § 1. *At idem postea Alexandrina perfidia deceptus, ultimo mancipio transfodiendum se praebuit.* Ep. IV. § 5 *De Pompeji capite pupillus et spado tulere sententiam.* Ibid. § 6 *et intelliges, non pauciores servorum ira cecidisse, quam regum.* Sic Pompejo quoque turpius, ut mihi videtur, fuisset beneficio *servi,* quam beneficio *regis vivere.*

6. M. Cicero si eo tempore, quo Catilinae sicas devitavit, quibus pariter cum patria petitus est, concidisset, liberatâ Republicâ conservator eius: si denique filiae suae funus secutus fuisset, etiàm tunc felix mori potuit. Non vidisset strictos in civilia capita mucrones: nec divisa percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent: non hastam consularia spolia vendentèm: nec caedes, nec locata publice latro-

Liberata republica conservator ejus. Locus corruptus. Interpolationis accusanda videbatur Lipsio. In quibusdam libris hujus loci nonnulla verba non inveniuntur. Lipsii codex tantum habet: *liberata republica senatusque fuisset, etiamnunc felix mori potuit,* unde conjecit: *liberata republica senatuque, etiamnunc felix mori potuit.* Sententia rerum fere postulat ut scribatur »*sicas derivavit,* (qui conjurationem opprimit, is eam non modo *devitat,* sed a patria seque ipso avertit, et qui *devitat,* non propterea est conservator patriae), totusque locus sic constituatur: *si eo tempore, quo Catilinae sicas derivavit, quibus pariter cum patria petitus est, liberata Republica occidisset, conservator ejus, si denique filiae suae funus secutus fuisset, etiam tunc felix mori potuit.*

Si Cicero statim post liberatam Rempublicam occidisset, liberator ejus mori potuit, si postea statim post mortem Tulliae, etiam tunc felix mori potnit. Seneca non pulcre posuit *sequi funus.* Nam ambiguum est.

De suo perirent. Lipsius confert e Floro. *Misera Resp. in exitium suum merces erat.* Addi potest e Vell. Paterc. II. Cap. XXVIII. *Primus ille, et utinam ultimus, exemplum proscriptionis invenit, ut fieret quisque merces mortis suae.*

cinia, bella, rapinas, tantum Catilinarum. 7. Marcum Catonem si a Cypro et hereditatis regiae dispensatione redeuntem mare devorasset, vel cum illa pecunia, quam afferebat civili bello stipendium, nonne illo bene actum foret? hoc certe secum tulisset, neminem ausurum coram Catone peccare. Nunc annorum adiectio paucissimorum virum libertati non suae tantum sed publicae natum coëgit, Caesarem fugere, Pompeium sequi. Nihil ergo mali immatura mors attulit illi: omnium etiam malorum remisit patientiam. 8. »Nimis tamen cito periit, et immaturus." Primum, puta illum superfuisse: comprehende quantum plurimum procedere homini licet: quantulum est? Ad brevissimum tempus editi, cito cessuri loco, venienti in pactum hoc, prospicimus hospitium. De nostris aetatibus loquor, quas incredibili celeritate

Tantum Catilinarum. Occasio Lipsii, viri in Senecae operibus maxime versati, explicationem stabiliendi. »Est, »ait ille, pro *tot Catilinas.*" Sic de Vita Beata XI. § 1 *tantum acerrimorum hostium.* De Benef. IV, Cap. XXIII. § 3. *tantum stellarum innumerabilium refulsit.*

Libertati non suae tantum. Forte respexit locum Ciceron. Orat. pro Murena § 83. *M. Cato, qui non mihi, non tibi, sed patriae natus es.*

Hospitium. Hac comparatione gavisus fuit Seneca Ep. LXX. § 14 *tamquam migraturus habita.* Ep. CXX. § 15 *Nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, et quidem breve hospitium, quod relinquendum est, ubi te gravem esse hospiti videas.* Conf. Plut. de exsilio pag. 606 D.

convolvi constat. Computa urbium secula, videbis quam non diu steterint, etiam quae vetustate gloriantur. Omnia humana brevia et caduca sunt, infiniti temporis nullam partem occupantia. 9. Terram hanc cum populis, urbibusque, et fluminibus, et ambitu maris, puncti loco ponimus, ad universa referentes: minorem portionem aetas nostra quam puncti habet, si tempori comparetur omni: cuius maior est mensura quam mundi: utpote quum ille se intra huius spatium toties remetiatur. Quid ergo interest id extendere, cuius quantumcunque fuerit incrementum, non multum aberit a nihilo? Uno modo multum est quod vivimus: si satis est. 10. Licet mihi vivaces et in memoriam traditae senectutis viros nomines, centenos denosque percenseas annos: quum ad omne tempus dimiseris animum, nulla erit illa brevissimi longissimique aevi differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio, comparaveris quanto non vixerit. Dein-

Puncti loco. Saepe hunc in modum egregie disserit Seneca, inprimis Nat. Q. I. Praef. § 8. ***Quum te in illa vere magna sustuleris, quotiens videbis exercitus subrectis ire vexillis, et quasi magnum aliquid agatur, equitem modo ulteriora explorantem, modo a lateribus affusum, licebit dicere:***

It nigrum campis agmen.

Formicarum iste discursus est, in angusto laborantium. Quid illis et nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? sqq. Conf. Ep. XCIX. § 28.

Vivaces. Pulcra Ruhkopfii emendatio pro ***vates.*** Sic Troad. Act. I. v. 42 ***vivax senectus.***

de non immaturus decessit: vixit enim quantum debuit vivere. Nihil enim illi iam ultra supererat. Non una hominibus senectus est, ut ne animalibus quidem. Intra quatuordecim quaedam annos defatigantur: et haec illis longissima aetas est, quae homini prima. Dispar cuique vivendi facultas data est: nemo nimis cito moritur, qui victurus diutius quam vixit, non fuit. 11. Fixus est cuique terminus: manebit semper ubi positus est: nec illum ulterius diligentia aut gratia promovebit: scit libenter illum ulterius diligentiam ex consilio perdidisse. Tulit suum,

— *metasque dati pervenit ad aevi.*

Scit libenter illum — perdidisse. Locus difficillimus. In quo explicando et corrigendo sine melioribus Mss., frustra sudamus. Ut nunc se habet, similis est glossae, et huic corruptae. Lipsii codex habet tantum: *Manebit semper ubi positus est, nec illum ulterius diligentia ex consilio perdidit, sed tulit suum.* (Conf. nota Lipsii) Timide conjiciam: *scias libenter illum et consulto periisse, illum* scil. Metilium, Marciae filium. Verba quae sic ejicerentur *ulterius diligentiam*, e praecedentibus *ulterius diligentia aut gratia* orta possunt videri. *Perire* pro *mori* Senecae usitatum, Cap. XVII. § 1. *Ad hoc genita es ut perderes, ut perires. Scias* et alibi in transitu orationis, uti hoc loco, ubi ad filium Marciae oratio inflectitur, utitur Seneca. De Tranq. XI. § 3. *Gladiatores, ait Cicero, invisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt... idem evenire nobis scias. Consulto* denique esset pro *Divina providentia, non temere, neque nimis cito.* Nisi fortasse locus ita sit corrigendus. *Scias libenter illum* (qui terminum

Non est itaque quod sic te oneres: Potuit diutius vivere. Non est interrupta eius vita, nec unquam se annis casus interiecit. Solvitur quod cuique promissum est: eunt via sua fata, nec adiiciunt quidquam, nec ex promisso semel demunt: frustra vota ac studia sunt. 12. Habebit quisque, quantum illi dies primus adscripsit. Ex illo, quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est, accessitque fato propior: et illi ipsi, qui adiiciebantur adolescentiae anni, vitae detrahebantur. In hoc omnes errore versamur, ut non putemus ad mortem, nisi senes inclinatosque iam vergere: quum illo infantia statim, et iuventa, omnisque aetas ferat. Actura opus suum fata nobis sensum nostrae necis auferunt: quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitae nomine latet. Infantem in se pueritia convertit, pueritiam pubertas, pubertatem iuventus, iuventutem senectus abstulit. Incrementa ipsa si bene computes, damna sunt.

XXI. Quereris, Marcia, non tam diu vixisse filium tuum, quam potuisset? Unde enim scis, an diutius

vult pro movere) *ulterius diligentiam et consilium perdidisse.* Ultra terminum nec diligentia nec consilium juvant.

Et juventa. Cur haec addidit? credo quoniam Metilius juvenis fuisset.

Quoque facilius ... latet. Prius cogitabam ipsi verbo *vitae* aliquid inesse quod mortem significaret; sed locus sic explicandus videtur: tempus quod vivimus *vita* appellatur, quum accessio ad mortem dicenda esset, quotidie enim morimur, *nomine* vivimus, *re* morimur.

illi expedierit? an illi hac morte consultum sit? Quem invenire hodie potes, cuius res tam bene positae sunt et fundatae, ut nihil illi, procedenti tempore, timendum sit? Labuntur humana, ac fluunt: neque pars vitae nostrae tam obnoxia aut tenera est, quam quae maxime placet. 2. Ideoque felicissimis optanda mors est, quia in tanta inconstantia turbaque rerum, nihil nisi quod praeteriit, certum est. Quis tibi recepit, illud pulcherrimum filii tui corpus, et summa pudoris custodia inter luxuriosae urbis oculos conservatum, potuisse ita morbos evadere, ut ad senectutem formae illaesum perferret decus?

Tam obnoxia aut tenera est, quam quae maxime placet. Sic explicanda haec puto: felicissima non nisi in pejus mutari possunt, ideo felicissimi maxime vitae malis obnoxii sunt. In hunc modum saepe disserit Seneca: De Brevit. Vitae XVII. § 1. *Maxima quaeque bona sollicita sunt, nec ulli fortunae minus bene, quam optime creditur,*" et § 2 Ep. XCI. § 4. *Quid enim est, quod non fortuna quum voluit, ex florentissimo detrahat, quod non eo magis aggrediatur, et quatiat, quo speciosius fulget.* Potest etiam intelligi ipsa *juventus.* Conf. Horat. Lib. II. Carm. X. v. 9 sqq. Et Boethius de cons. Phil. Lib. II. prosa IV.

Urbis oculos. Sic Plin. Sec. Ep. XIX. Lib. VII. »*Doleo enim, maximam feminam eripi oculis civitatis.*"

Morbos evadere. »Non ita »morbos potuisset evadere, »nec id in ejus manu vel »cautela" ait Lipsius. Sed ni fallor de iis morbis loquitur Seneca, quos effugere possumus, quum libidine et luxurie arcescantur; quos, ut ait noster de Brevit. vitae III. § 3, *manu facimus.*

XXII. Cogita animi mille labes. Neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, usque in senectutem pertulerunt: sed interversa plerumque sunt. Aut sera eoque foedior luxuria invasit, et coëgit dehonestare speciosa principia, aut in popinam ventremque praecoquis summa illis curarum fuit, quid essent, quid biberent. Adiice incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum ossa vivis legentium, et totas in viscera manus demittentium, et non simplici dolore pudenda curantium. 2. Post haec exsilium: non fuit innocentior filius tuus, quam Rutilius. Carcerem: non fuit sapientior, quam Socrates. Voluntario vulnere transfixum pectus: non fuit sanctior quam Cato. Quum ista perspexeris, scies optime cum his agi, quos natura, quia illos hoc manebat vitae stipendium, cito in tutum recepit. Nihil est tam fallax, quam vita humana: nihil tam insidiosum. Non mehercule quisquam accepisset, nisi daretur insciis. Itaque si felicissimum est, non nasci: proximum puta, brevitate vitae defunctos, cito in integrum restitui. Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. Irascebatur illi ob unum

Sanctior quam Cato eadem significatione alibi hic *sacer* vocatur de Provid. II. § 8. Cur sacer vocetur ipse declarat Seneca, monente Nauta in diss. pag. 34 pars 2, in fine hujus de Provid. Cap. *Mors illos consecrat, quorum exitum et qui timent, laudant.*

aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat, Seianum in cervices nostras nec imponi quidem, sed escendere. 3. Decernebatur illi statua in Pompeii theatro ponenda, quod exustum Caesar reficiebat. Exclamavit Cordus: »Tunc vere theatrum »perire." Quis ergo non rumperetur, supra cineres Cn. Pompeii constitui Seianum, et in monumentis maximi imperatoris consecrari perfidum militem? consecratur subscriptione: et acerrimi canes, quos ille, ut sibi uni mansuetos, omnibus feros haberet, sanguine humano pascebat, circumlatrare hominem, et illum imperatum, incipiunt. 4. Quid faceret? si vivere vellet, Seianus rogandus erat: si mori, filia. Uterque inexorabilis: constituit filiam fallere. Usus itaque balneo, et quo plus virium poneret, in cubi-

Theatro de hoc conf. interp. ad Sueton. in Aug. Cap. XXXI. 45.

. *Rumperetur* scil. *invidia.* Sic Propert. Lib. I. Carm. VIII. v. 27 *rumpantur iniqui.* Vid. nota Burmanni ad hunc locum et ad Virgil. Eclog. docentis *rumpi* sic seorsim aut cum *odio* poni. Sic Graeci *διαῤῥήγνυμι*, conf. Lucianus in Timone v. 672 ed. min. Hemst. Hinc fortasse explicandum in Plauto *dierectum.*

Quo plus virium poneret. Sic Gronovius e codd. nonnullis rectissime reduxit, cui Ruhkopfius quoque assentitur. J. M. Heusingeri emendationem affert Ruhk. legentis *quo pluribus imponeret.* Addit Heusing. »nec eo consilio in cubiculum se contulit, ut plus virium poneret, sed ut omnes custodesministrosquefalleret." Contra sentio, neque si *quam plurimis* ministris imponeret, ideo *omnibus* imposuisset; *quo pluribus* enim numquam significare potest *omnibus.* Hoc

culum se quasi gustaturus contulit, et dimissis pueris, quaedam per fenestram, ut videretur edisse, proiecit: a coena deinde, quasi iam satis in cubiculo edisset, abstinuit: alteroque die, et tertio idem fecit. Quarto, ipsa infirmitate corporis faciebat indicium. 5. Complexus itaque te, »Carissima," inquit, »filia, »et hoc unum, totâ celata vitâ, iter mortis ingressus »sum, et iam medium fere teneo. Revocare me nec »debes, nec potes." Atque ita lumen omne praecludi iussit, et se in tenebris condidit. Cognito consilio eius, publica voluptas erat, quod e faucibus avidissimorum luporum educeretur praeda. Accusatores, Seiano auctore, adeunt consulum tribunalia: queruntur mori Cordum, interpellantes quod coëgerant: adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quaestione, an morte rei prohiberentur.

tamen requirebatur; nam si unus tantum rem novisset, ceteris indicare et totum consilium frustrari potuisset.

Revocare. Hac in re proprium. Cic. Tuscul. I. § 84. *Quod a vita quidam per inediam discedens revocatur ab amicis.* Plin. Sec. Ep. XII. Lib. I. Ed. Cortii et Longolii, ad quem locum notatur: »frequens locutio de illis, qui »suadendo, orando, aut aliis »modis efficiunt, ut alius moriendi consilium abjiciat."

An morte rei prohiberentur. E complurium codd. lectione fecit Muretus *an morte rei perderentur.* Lipsii codex dabat *prohiberentur.* Mureti lectionem praefero, et secundum ejus notam explico: *an praemia, quae quadruplatores e damnatorum bonis accipiebant, mortuo reo perderentur. Perdere* explicavit Barthius

Dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat. Videsne, Marcia, quantae iniquorum temporum vices ex inopinato ingruant? Fles, quod alicui tuorum mori necesse fuit? Paene non licuit.

XXIII. Praeter hoc, quod omne futurum incertum est, et ad deteriora certius: facilius ad superos iter est animis cito ab humana conversatione dimissis: minus enim faecis ponderisque traxerunt, antequam obducerent, et altius terrena conciperent, liberati, leviores ad originem suam revolant, et facilius, quidquid est illud obsoleti illitique, eluunt. Nec unquam

ad Statium Tom. III. pag. 94 ubi *perditis aevum* explicat: »non plene, neque quanta »poteratis indulgentia, vitae »vestrae fructum capitis. Sic »eo aevo potissimum Latini»tas utebatur, quod multis »exemplis constat." Et sane locus Senecae de Brevit. Vitae Cap. IV. § 1 hoc confirmat: *Non observatis quantum jam temporis transierit: velut ex pleno et abundanti perditis.*

Lipsius legens: *an morte rei prohiberentur* eodem fere modo explicat: »liceretne iis »ita mori ut salva bona et »testamenta essent." Sed *morte prohibere* non puto explicari posse eo modo quo Lipsius fecit. Imo nihil significare posse mihi videtur, nisi aliquem prohibere quominus moriatur, sed id non poterat fieri; ut ipse iam declaraverat filiae suae Cordus: *Revocare me nec debes, nec potes*, et omnes jam sciebant hoc; nam *publica voluptas erat, quod e faucibus avidissimorum luporum educeretur praeda.* Hac de causa Mureti lectio *an morte rei perderentur* unice admittenda mihi videtur.

Se absolverat tamquam judex de se ipse.

magnis ingeniis cara in corpore mora est: exire atque erumpere gestiunt, aegre has angustias ferunt, vagi per omne sublime, et ex alto assueti humana despicere. 2. Inde est quod Plato clamat: Sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem. Quid tu, Marcia, quum videres senilem in iuvene prudentiam, victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio, divitias sine avaritia, honores sine ambitione, voluptates sine luxuria appetentem, diu tibi putabas illum sospitem posse contingere? Quidquid ad summum pervenit, ad exitum prope est. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus: nec ultimum tempus exspectant, quae

Plato clamat. Attendatur verbum *clamat* tamquam de re gravissima, quam veram esse debere intimus ejus sensus, dubitante ratione, *clamabat*, et omnibus hominibus persuadere volebat. Horat. Serm. 1, 1, 12. *Solos felices viventes clamat in urbe.*

Ad exitum prope est. Hanc codd. lectionem tuetur Gronovius. Lipsius mutat *ad exitum* in *ab exitu.* »*Prope*, ait »Gronovius, est adverbium »non praepositio." Ruhk. desiderat exempla. Sed vid. Sanctius Min. Lib. I. Cap. XVI. pag. 150, qui cum Gronovio facit et exempla dat. Aliquatenus huc quoque faciat, ut opinor, de Tranq. II. § 1. *Quaero jamdudum, ipse tacitus, cui talem affectum animi similem putem: nec ullius propius admoverim exemplo, quam eorum* ubi dativus *exemplo* ab *admoverim* pendere potest, pro *ad exemplum.* Sed *propius* forte, ut Sanctius monet, est et hoc loco comparativus adjectivi, neutrius generis.

in primo maturuerunt. 3. Ignis quo clarior fulsit, citius exstinguitur: vivacior est, qui cum lenta difficilique materia commissus, fumoque demersus, ex sordido lucet: eadem enim detinet causa, quae maligne alit. Sic ingenia quo illustriora, eo breviora sunt. Nam ubi incremento locus non est, vicinus occasus est. Fabianus ait, quod nostri quoque parentes videre, puerum Romae fuisse, statura ingentis viri: sed hic cito decessit; et moriturum brevi nemo non prudens dixit. Non poterat enim ad illam aetatem pervenire, quam praeceperat. Ita est indicium imminentis exitii maturitas, et appetit finis, ubi incrementa consumta sunt.

XXIV. Incipe virtutibus illum, non annis aestimare: satis diu vixit. Pupillus relictus, sub tuto-

Eo breviora. Lipsii codicis lectio *breviora* omisso *eo* firmatur Ep. CXXIII. § 11. *Plus enim gaudebit tua morte, quo plus acceperit:* pro *eo plus enim* cet. Et ad Livium XXVI. Cap. XX. § 5 ed. Drakenb. confertur locus Senecae patris in praef. Lib. I. Controv. *quo plura exempla inspecta sunt, plus in eloquentiam proficitur.*

Satis diu vixit. Hoc argumentum in libro, qui inscribitur van Kampens Mag. Tom. I. p. 2, pag. 189 sqq., culpatur. Ibi conceditur hoc de Metilio quidem dici posse, non vero de infantibus, qui acceptam vitam statim amittant, et sic nihil boni fere acceperint, nec effecerint. Sed Seneca in animo habere potuisse non videtur unam eandemque consolationem scribere, qua unumquemque amissos lugentem consolaretur. Marciam consolari volebat de filii morte, qui re vera satis vixerat. Si infans mortuus esset aliam consolandi

rum cura usque ad decimum quartum annum fuit: sub matris tutela semper. Quum haberet suos penates, relinquere tuos noluit. Adolescens staturâ pulchritudine, cetero corporis robore castris natus, militiam recusavit, ne a te discederet. Computa, Marcia, quam raro liberos videant, quae in diversis domibus habitant: cogita, tot illos perire annos matribus, et per solicitudinem exigi, quibus filios in exercitu habent: scies multum patuisse hoc tempus, ex quo nihil perdidisti. 2. Nunquam a conspectu tuo recessit: sub oculis tuis studia formavit, excellentis ingenii, et aequaturi avum, nisi obstitisset verecundia, quae multorum profectus silentio pressit. Adolescens rarissimae formae, in tam magnâ mulierum turba viros corrumpentium, nullius spei se praebuit: et quum quarundam usque ad tendandum pervenisset

rationem procul dubio iniisset. Nam ne tunc quidem veteres consolandi omnibus caruisse rationibus probat Plutarchi locus, Consol. ad Apoll. ed. Wyttenb. pag. 470, Tom. I. pag. 2.

Solicitudinem. Bene legere mihi videtur hoc loco Gronovius *solitudinem*, ut et Pincianum fecisse testatur ille. Eadem occurrit corruptela de Tranq. XV. § 5, ubi Gronovius pro *in solitudinem* restituit e quibusdam codd. *in solicitudinem.* Vere Gronovius »sol»licitudo parentum numquam »cessat etiam de praesentibus »et sub oculis eorum viven»tibus liberis." Objici posset *tot illos perire annos* sic jam efficacius esse dictum. Concedo sed sequentia *per solitudinem exigi*, quid velit intelligi auctor verbo *perire*, accuratius definiunt. Similiter Cap. II. § 5 *defodit se, et abdidit.*

improbitas, erubuit, quasi peccasset, quod placuerat. Hac sanctitate morum effecit, ut puer admodum dignus sacerdotio videretur, materna sine dubio suffragatione: sed ne mater quidem nisi pro bono candidato valuisset. Harum in contemplatione virtutum filium gere, tanquam si nunc ille tibi magis vacet. 3. Nunc nihil habet quo avocetur: nunquam tibi solicitudini, nunquam moerori erit. Quod unum ex tam bono filio poteras dolere, doluisti: cetera exemta casibus, plena voluptatis sunt, si modo uti filio scis,

Puer admodum. Rectissime Heidbreedius in disputatione docet a Seneca et Plinio *adolescentiam significari.*

Filium gere. Ruhkopfius explicat: »ita habe, tene." Lipsii conjectura est *filio jungere* explicantis »hac meditatione »adesto et junge te filio, qui »nunc liber tibi vacat." Explicatio Ruhkopfii melior esset, si pro *gere* scriberemus *tene.* Nam *filium gere* Latine significat, sic te gere, quasi ipsa esses filius, sume animum filii.

Verbum *tenere* in hac re solemne est. Tacit. Agric. cap. 46. *Ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecillia ac mortalia sunt: forma mentis aeterna, quam tenere et exprimere tuis ipse moribus possis.* Plin. Panegyr. 55. *formam Principis figuramque non aurum melius vel argentum, quam favor hominum exprimat teneatque.* Ambrosius Opera Tom. II. p. 944. *In te matrem recognoscant, in te ejus praesentiam teneant.* Id. pag. 1185. *Illum intueor in vobis, illum teneo, illum puto esse mihi praesentem.*

Lipsii conjecturae aliquatenus favent haec Senecae verba Cons. ad Helviam XVII. § 2. *Haec* (soror tua) *est, mater carissima, solatium, quo reficiaris: illi quantum potes te junge, illius arctissimis amplexibus alliga.*

si modo quid in illo pretiosissimum fuerit, intelligis. Imago dumtaxat filii tui periit, et effigies non simillima: ipse quidem aeternus, meliorisque nunc status est, despoliatus oneribus alienis, et sibi relictus. 4. Haec quae vides ossa circumvoluta nervis, et obductam cutem, vultumque, et ministras manus, et cetera quibus involuti sumus, vincula animorum tenebraeque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur a veris et suis, in falsa coniectus: omne illi cum hac carne gravi certamen est, ne abstrahatur et sidat: nititur illo, unde dimissus est: ibi illum aeterna requies manet, e confusis crassisque pura et liquida visentem.

XXV. Proinde non est, quod ad sepulcrum filii tui curras: pessima eius, et ipsi molestissima, istic iacent, ossa cineresque: non magis illius partes, quam vestes aliaque tegumenta corporum. Integer ille nihilque in terris relinquens, fugit et totus excessit: paulumque supra nos commoratus, dum expurgatur, et inhaerentia vitia situmque omnis mortalis aevi excutit, deinde ad excelsa sublatus, inter felices cur-

A veris et suis. Sic dedit Pincianus pro *arcetur a diversis e suis.* Haec magni viri emendatio quam sit e consuetudine Senecae probat Ep. XXIII. § 5 *ad verum bonum specta, et de tuo gaude.*

Totus excessit. Totus in hac formula usitatum. Ep. CII. § 28 *Tunc in tenebris vixisse dices, quum totam lucem totus adspexeris.* De Provid. V. § 6. *Nos laeti ad omnia et fortes cogitemus, nihil perire de nostro.*

rit animas; excipitque illum coetus sacer, Scipiones, Catonesque, utique contemtores vitae, et mortis beneficio liberi. 2. Parens tuus, Marcia, illic nepotem suum, quamquam illic omnibus omne cognatum est, applicat sibi, nova luce gaudentem, et vicinorum siderum meatus docet, nec ex coniecturis, sed omnium ex vero peritus, in arcana naturae libens ducit. Utque ignotarum urbium monstratus hospiti gratus est, ita sciscitanti coelestium causas, domesticus interpres. In profunda terrarum permittere aciem iuvat: delectat enim ex alto relicta respicere. 3. Sic itaque, Marcia, te gere, tanquam sub oculis patris filiique posita, non illorum quos noveras, sed tanto excellentiorum, et in summo locatorum: erubesce quidquam humile aut vulgare, et mutatos in melius tuos flere. In aeterna rerum per vasta et libera spatia dimissos, non illos interfusa maria discludunt, nec altitudo montium, aut imae valles, aut incerta vada Syrtium: tramites omnia plani, et ex facili mobiles, et expediti, et invicem pervii sunt, intermixtique sideribus.

XXVI. Puta itaque ex illa arce coelesti patrem

Puta itaque. Bene Seneca veterum illustrissimorum exemplo hanc patris mortui prosopopoeiam in finem libri distulit. Hujusmodi prosopopoeiae pulcrum exemplum suppeditat Cic. in Ver. Lib. V. Cap. LII. Sed quantam huic figurae, in fine orationis praesertim positae, vim tribuerint antiqui, Euripidis declarant hi versus ex Hecuba 130 sqq. Deliberant Graeci utrum Polyxenam umbrae Achillis mactaturi

tuum, Marcia, cui tantum apud te auctoritatis erat, quantum tibi apud filium tuum, non illo ingenio, quo civilia bella deflevit, quo proscribentes in aeternum ipse proscripsit, sed tanto elatiore, quanto est ipse sublimior, dicere: »Cur te, filia, tam longa tenet aegritudo? Cur in tanta veri ignorantia versaris, ut inique actum iudices cum filio tuo, quod in taedium versus vitae, ipse ad maiores se recepit suos?

sint, nec ne. Suffragia erant aequaliter divisa.

῏Ησαν ἶσαι πως, πρὶν ὁ ποικιλόφρων,
Κόπις, ἡδυλόγος, δημοχαριστὴς,
Λαερτιάδης πείθει στρατιὰν,
Μὴ τὸν ἄριστον Δαναῶν πάντων,
Δούλων σφαγίων οὕνεκ', ἀπωθεῖν,
Μηδέ τιν' εἰπεῖν παρὰ Περσεφόνῃ
Στάντα φθιμένων, «ὡς ἀχάριστοι
»Δαναοὶ Δαναοῖς, τοῖς οἰχομένοις
»Ὑπὲρ Ἑλλήνων,
»Τροίας πεδίων ἀπέβησαν.»

His demum mortui verbis prolatis, Polyxenam mactandam censent.

Proscripsit. Respicit universo ad historiam bellorum civilium, in qua scelera principum, et proscriptiones atro carbone notavit, deinde ad verba illa, quibus Cordus *Brutum et Cassium Romanorum ultimos* dixisse fertur, (Suet. in Tib. Cap. 61), et sic nefarios illos quasi proscripsisse videtur. Similiter Seneca pater Suas. VII de Cicerone *et uno proscriptus saeculo proscribes Antonium omnibus.*

In taedium versus vitae. Corruptus locus. Lipsius e codice ubi legitur: *quod in te domus status, in te ipse ad majores*, conjecit *quod sine taedio, satur vitae ipse ad majores.* Emendatio acutissima, quae tamen an sensu vera sit dubito. *Satietas vitae* in iuvenem nequaquam, sed in senem cadere videtur. Seneca testis (hujus cons. cap. XX) *sive satietatem aut lassitudinem senis terminat, sive*

Nescis quantis fortuna procellis disturbet omnia? quam nullis benignam facilemque se praestiterit, nisi qui minimum cum illa contraxerant? 2. Regesne tibi nominem felicissimos futuros, si maturius illos mors instantibus subtraxisset malis? An Romanos duces, quorum nihil magnitudini deerit, si aliquid aetati detraxeris? an nobilissimos viros clarissimosque ad ictum militaris gladii composita cervice formatos? Respice patrem atque avum tuum. 3. Ille in alieni percussoris venit arbitrium. Ego nihil in me cuiquam permisi, et cibo prohibitus ostendi. Quam magno me

juvenile aevum, dum meliora sperantur, in flore deducit mors. Nisi dicamus juvenem capere posse satietatem vitae tam *malae*, quam vulgo vivebatur. Gronovius emendat: *quod vitae demonstratus, ipse se ad majores*, additque notum est Virgilianum: *ostendent terris hunc tantum fata. Vitae demonstratus* tunc est *hominibus demonstratus.* Si in vulgata *versus* in *venturus* mutemus totus locus optime respondeat sequentibus, iisque, ut hic requiri potest, explicetur; simul vero retineatur sic *taedium* quod immutari non debuisset. Probat Ep. XCI. § 20 ubi noster de morte: *At illud scis, quam multis utilis sit, quam multos liberet tormentis, egestate, querelis, suppliciis, taedio.* Ex cod. scribi potest etiam *quod in deterioris status metu, ipse* sq.

Quam magno me juvat. Hanc Ruhk. interpunctionem unice excipiendam puto, »ut »*quam — scripsisse* membrum »orationis per se constituat, »gaudium exprimens, quod »convenienter mortuus sit sen»tentiis magnis, quas in libro »suo expresserat." Sic Ruhk. hunc locum egregie explicasse mihi videtur. Antea *quam — scripsisse* cum antecedenti *ostendi* conjungebatur.

iuvat animo scripsisse! Cur in domo nostra diutissime lugetur, qui felicissime moritur? Coimus in unum omnes, videmusque non alta nocte circumdati, nil apud vos, ut putatis, optabile, nil excelsum, nil splendidum: sed humilia cuncta, et gravia, et anxia, et quotam partem luminis nostri cernentia? 4. Quid dicam, nulla hic arma mutuis furere concursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia aut fingi, aut cogitari, nec fora litibus strepere dies perpetuos: nihil in obscuro, detectas mentes, et aperta praecordia, et in publico medioque vitam, et omnis aevi prospectum, eventumque? Iuvabat unius seculi me facta componere, in parte ultima mundi, et inter paucissimos gesta: tot secula, tot aetatum contextum et seriem, quidquid annorum est, licet

Non alta nocte circumdati. Ruhk. hanc nonnullorum codicum lectionem praetulit vulgato *videmusque vos alta nocte circumdari*, quoniam mox sequitur: *quotam partem luminis nostri cernentia.* Heusinger eandem tuitus est sententiam. Timuit credo Ruhk. ne in vulgato *vos alta nocte circumdari*, et *quotam partem luminis nostri cernentia* tautologia inesset, quae sic tamen et in altera lectione *non alta nocte circumdati* reprehendi possit; ut ex horum verborum cum sequentibus *luminis nostri* comparatione statim apparet. Sequor igitur vulgatum *vos alta nocte circumdari*, et sequentia usque ad *cernentia* horum verborum explicationem existimo.

In publico medioque. Alibi *medium* solum ponitur, de Tranq. III. § 14. *Socrates tamen in medio erat, et lugentes patres consolabatur.* Ep. XIX. § 2. *In medium te protulit ingenii vigor.*

visere: licet surrectura, licet ruitura regna prospicere, et magnarum urbium lapsus, et maris novos cursus. 5. Nam si potest tibi solatio esse desiderii tui commune fatum, nihil quo stat loco stabit: omnia sternet, abducetque secum vetustas: nec hominibus solum, (quota enim ista fortuitae potentiae portio est?) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet: tot supprimet montes: et alibi rupes in altum novas exprimet: maria sorbebit, flumina avertet: et commercio gentium rupto, societatem generis humani coetusque dissolvet. Alibi hiatibus vastis subducet urbes, tremoribus quatiet, et ex infimo pestilentiae halitus mittet, et inundationibus, quidquid habitatur, obducet: necabitque omne animal orbe submerso, et ignibus vastis torrebit incendetque mortalia.

Commune fatum. N. Quaest. VI. Cap. II. § 5. *Nullum est majus solatium mortis, quam ipsa mortalitas.* Hoc solatium quanti fecerint antiqui colligi potest ex his locis praeclarissimis. Cic. Ep. ad Div. Lib. IV, Ep. 5 § 3 et Plin. Sec. Lib. VI, Ep. XX. Quae loca quominus apponam vix angusti hujus libelli termini me impedire possunt.

Vetustas »de inundatione »mundi quam exustio sequa»tur, nemo e Stoicis praeter »nostrum," ut annotat Ruhkopfius. Causam hujusmodi interitus Seneca tradit Nat. Quaest. III. 28 § 7. *Aqua et ignis terrenis dominantur. Ex his ortus, et ex his interitus est.*

Hiatibus. Lipsius conjiciebat *motibus* e codicis sui lectione *montibus.* Sed an *vastis motibus* dici possit dubito; nec urbes motibus *subducuntur,* sed evertuntur.

6. Et quum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat: viribus ista se suis caedent, et sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque felices animae, et aeterna sortitae, quum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, et ipsae parva ruinae ingentis accessio, in antiqua elementa vertemur. Felicem filium tuum, Marcia, qui ista iam novit."

Nos quoque felices cet. Corrigit Gronovius ad Livium XLV. Cap. VII. ed. Drakenb. *Nos quoque felices animas et aeternas sortiti, quum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, et ipsi parva ruinae ingentis accessio.* Emendatio acuta quidem sed ne quid reticeam, non vera mihi videtur. Nam e Stoicorum doctrina *aeterna* quidem sortiti sumus, i. e. semper manebimus, sed non semper eodem statu, non semper *animae;* nam *in antiqua elementa vertemur*, ut ait noster. Hoc quoque patet ex Consol. ad Helviam VIII. § 5. *Animus contemplator, admiratorque mundi, pars ejus magnificentissima, propria nobis et perpetua, tamdiu nobiscum mansura, quamdiu ipsi manebimus.*

Index.

THESES.

I.

Improbanda videtur sententia Boecleri, ad Vellejum Paterculum II. 44, insignem errorem optimatum notandum censentis in eo quod Bibulum Caesari in consulatu collegam dedissent.

II.

Cic. de Finib. Lib. IV. Cap. 15 pro: *At enim jam dicitis, virtutem;* scribendum puto: *At enim ipsam dicitis virtutem.*

III.

In veteris scriptoris libro explicando plurimum auxilii ex ceteris ejusdem auctoris scriptis petendum judico.

—

IV.

In Cic. de Divin. Lib. II. Cap. 9, probabilis mihi videtur Tanaq. Fab. (Lib. I. Ep. 4.) conjectura: *se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri* mutantis in: *se a satellite Aegyptio contrucidatum iri.*

V.

Viris doctis assentior qui Cic. Tuscul. V. 38, pro *videbat in literis* legunt *vivebat in literis.*

VI.

In Seneca de Ira Lib. II. Cap. 30, § 2, verba *si inique accepisse* mutanda censeo in *si iniqua accepisse.*

VII.

Non satis causae video cur verba Sen. de Ira III. Cap. 22 ultima: *Ex his duobus* cet. ut Ruhkopfius vult, ejiciantur.

VIII.

Herodotum in historiis populo Atheniensium adulatum fuisse non puto.

IX.

Vere Heidbreedius, in disputatione de L. A. Senecae Consolatione ad Marciam pag. 14, contendere mihi videtur, Senecae epistolas potissimum propter illud esse reprehendendas, quod Quinctilianus in hoc auctore castigavit.

X.

Vere Seneca, Ep. LXXXVIII. *Liberalia studia non virtutem dare possunt, sed animum ad accipiendam virtutem praeparant.*

—

XI.

Non vere ii disserere mihi videntur, qui Senecam in hac consolatione sibi non constare statuunt, quoniam primo mortem nihil esse, deinde bonum aliquod esse ponat.

XII.

Livii I. 15, *Belli Fidenatis contagione irritati Vejentium animi* — verba corrupta sunt, scribendumque *contagione tracti.*

XIII.

Carmina Marcii vatis, quae leguntur apud Livium XXV. 12, metrum habent hexametrum, non saturninum.

XIV.

In Livio I. 28, pro *audeat deinde talia alius, nisi in hunc insigne jam documentum mortalibus dedero* — scribendum putamus *in hoc.*





